



1
6
545









CELSI MARTINENGI

DE PRAEVIDENDIS MORBORVM EVENTIBVS LIBRI TRES.

AD CAROLVM EMANVELEM SERENISSIMVM SABAVDIÆ DVCEM &c.

Eiusdem

De Methodis Commentarius, Deq; Artium Structura Libellus.


CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS,

Apud Ioan. Baptistam Somaschum.

M D XXCIIII.



AD CAROLVM EMANVELEM SERENISS. INVICTISSIMVMQ. SABAVDIÆ DVCEM, SVBALPINORVMQ. PRINCIPEM.

CELSI MARTINENGI IN TREIS LIBROS *De præuidendis morborum euentibus.*

PRAEFATIO.



VTVROS morborum euentus diuinandi aggredimur Artem; rem quidem & maxime vtilem, & plurima vndique venere claram; Diuorum nempe, Cælitumq; æmula, vt quibus futura, indifferentia præsertim, priuatim videntur eße perspecta, mortalibus sui quasi è cælo delapsæ summã excitat admirationem, ardenteisq; amores accendit. Hac scientissimi ægrotantium gubernatores impendenteis malorum procellas præuertunt, prauos naturæ motus declinant, rectos uero certa ratione vsque moderantur, quoad eos incolumes in portu collocarint. Hæc salutare Medicinæ studium honestissimum, a Deoque oriundum, a mendoso vulgi vindicat iudicio. Siquidem,

quum fieri non poſſit, vt ægri omnes conualeſcant (hoc autem optatius eſſet, quam futura prædicere) extra omnem culpam eos, cauſſamque ponit, qui conualituros, morituroſque prænunciant. Huiuſce ergo facultatis etſi omnium, quorum fama ad nos peruenit, princeps Hippocrates tam apta, congruaque reliquerit elementa, vt poſteriores ea nec melius prouiſa, nec diligentius explorata poſteris relinquere vnquam attentarint: rudis tamen hæc, indigeſtaque moles, ortus ſui primordia etiamnum redolens eam mentis poſtulat agitationem, quæ congeriem hanc ſecernens, ſingula in ſua genera ita digerat, proprijſque ſedibus accommodet; vt integrum inde, ſuiſque numeris ornatum opus exſurgat. Nam, etſi Galenus perſpicaciſſimi in præſagiendo ingenij, qui medicam artem maxime excoluit, & adauxit, hanc æque illuſtrem profeſſionem elaborandam ſuſceperit: illius tamen rationes, & vias (ſi verum aſſeuerare fas eſt) imperfecta, tortuoſaque methodo litteris conſignauit. Qui vero inferiori fuerunt ætate Græci, & Mauritani rem ſine puluere, & ſudore tranſigentes, rudibus hiſce præceptis, quæ maiores illi tradiderant, dumtaxat contenti, altius ea agitare, ad ſuamque originem reuocare non ſtuduerunt. Conabimur itaque nos, Deo adiuuante, & rei petita natura, rationales vias monſtrare, quibus ad horum finium prænotionem recta perueniri poſſe putamus; inſuperque buod vniuerſali ratione didicerimus, in ijs exemplis, quæ Hippocrates accurate obſeruauit, experientes, propeque manu tentantes perbreue, expeditumque iter ad vſum dirigere.

Huic igitur cæpto tuum numen imploro, ampliſſime

Princeps,

Princeps, ingenui cuiuſque ſtudij fautor, & altor. Nam, ſi veteres illi, celeberrimiq; auctores ingenij ſui monimenta ab aliquo Diuo bene orſi ſunt; iuſte quoque mea imbecillitas tuum fauorem expoſcit. Vt enim ſummi imperatoris, excelſique, & inuicti animi mirifica quædam indoles in Te etiamnum adoleſcente ad propulſandas belli iniurias elucet: ita per hæc tempora, quibus tranquilla pace frueris, Dux, & quaſi Architectus, beatæ vitæ vitia ſeuere vlciſceris, virtutes vero, magnaſque artes foues benigniſſime.

Sed, priuſquam hæc tuis auſpicijs tractare incipiam; ne quid inuolutum, tectumque relinquatur; vtque huius artificij quaſi fundamentum eluceat, paullo altius res eſt ordienda; idque præcognoſcendum, qua ratione exitus hi, vtpote qui nulla neceſſitate adſtricti videantur, præſciri poſſint; & qui nam illi ſint, qui huic arti ſe ſe ſubijciant: his enim gradibus, atque vijs facilior, expeditiorque ad reliqua erit progreſſus.



CELSI MARTINENGI DE PRAEVIDENDIS MORBORVM EVENTIBVS.

Liber Primus.

Quod futuri morborum euentus præsciri possunt, ac qui nam huic arti subijciantur. Cap. I.



TSI casus ij, qui nullo fatali vinculo illigati in neu tram partem ancipites propendunt, soli Deo sunt cogniti, vt cui nil incertum, & opinabile, sed definita, rataq; sunt omnia; neq; quidquam præteritum, aut posterum, sed instans solum: tamen, cũ re inclinata ad vnum eorum finium deflexerint; tunc necessaria quasi lege deuincti, ijs quoq;, qui rei pulchritudine pellecti caussarum seriem accuratius scrutari non fuerint veriti, perspicui plane euadent. Vt enim globus, tradente Ammonio, in plana, stabiliq; sede quiescens æque cieri potest, & non cieri; at cũ se reclinauerit, fieri nequit, quin eo pulsu agitetur: sic, quamuis natura ac morbo paribus viribus inter se decertantibus, huius belli exitus sit incertus, vbi tamen ad alterum finem prælij cursus fuerit deuolutus, aut inæquali conatu illi fuerint depræliati, vincet omnino, qui fortius pugnauerit, aut altero iam (nisi quid extrinsecus aduersario suppetias tulerit) superior esse cœperit. hos ergo tũ fines, vt iam naturæ necessitate definitos, qui inficias ibimus posse præsciri? Cæterum, non omnes vna, singulariq; opera tractantur: nam cum alij ex propria natura perpetui sint, & immutabiles, alij vero mobiles, atque, vt vocant, contingentes; rursusq; horum quidam ex præsidiorum, morbiq; concursu prodeant, nonnulli au tem ex morbi pariter naturæq; conflictu; vt hi differentes, varijq; existunt, sic dissimilia, dispariaq; expostulant artificia: qui enim non varias species offerunt, quiq; auxiliorum, noxiorũq; affectuũ pugna proueniunt, medendi methodus sinu suo recipit. siquidẽ illius,

De constit. ar med. c. 13. illius, vt Galenus asseuerabat, munus est & quando quod rei natura faciendum indicat, fieri necne valeat, & quid ex quoque remedio consequuturum sit, prouidere. An igitur luxata membra reponentur, aut pulmonis caro exesa instaurabitur, vel ardens febris frigidæ potu extinguetur, absolutissimus, medendi artifex vno artificio præcognoscet. At illorum casuum indifferentium prænotio, quorum natura, & morbus decertantes principia exstant, etsi medenti, tamquam naturæ ministro, sit maxime frugifera: hæc tamen aliunde etiam, quam eisdem auxiliatoria petita, discretam magis seiunctamq; expostulat tractationem. Ij ergo cum non alij sint, quã qui nudas intemperies, humoreùe confusas consequantur, vt contra quas mutando, expellendoq; omnis fere est naturæ conatus; hæ quoque solæ ex omnibus malis, quæ corpora nostra affligunt, huius artis seges, & materia erunt; quamuis ipsa neque horũ omnium diuinationem promittat. Siquidem nonnulli ex se incerti, fallacesq; existunt; vt cum noxiæ caussæ, furore veluti agitatæ, huc, illhucq; vaga, & dispersa ratione labuntur. interdum enim malus quispiam succus in partem quampiam vitæ deditam confluens, improuisam mortem, aut contra ad obscuram impulsus mirabilem, nec opinatam concitat salutem. In ijs ergo id solum prænosse datur, quod dubij obscuriq; sunt eorum euentus; qui tamen illi erunt, prorsus definiri nequit. sunt & alij, ceu puræ intemperies, membra intus condita, a quibus nulla exeunt excrementa, affligentes: qui etsi stabili, optimeq; constituta motuum continuatione ad exitum tendant cum tamen veluti obscuri, nulla indiciorum luce collustrentur, ignoti, incompræhensiq; remanent. dumtaxat ergo ea vitia ex humoribus alicui parti affixis, vtq; mutari, & concoqui possint, aptis natis (quemadmodum omnes fere putridæ febres, pleriq; morbosi tumores) aut ex intemperiebus, quarum conuersiones percipi possunt, oriunda, ad hanc artem, præceptaq; reuocãtur. Verum istorum illustres, clariq; euentus diuinandi, in primis Salus, Morsq; sunt, adhæc nũquid fines istos exhaustis perspicua inanitione morbosis succis, vel in obscuram aliquam partem abscedentibus: aut potius tarda nullaq; insigni excretione abscessuve nobilitata conuersione contigerint. Quod si malorum humorum futura erit e corpore eiectio, non iniucundum, inutileq; erit præsentire sudore ne, an vomitu, aut cita aluo, vel sanguine e naribus aut ex hemorroidibus, vel ex vtero manante, exturbabuntur; aut si abscessus impendebunt, quis articulus, quæue alia humilis pars prolabentes humores excipiet. sed præterea stati dies, interdum & horæ, quibus hæc euenient, nec temere, neque leui coniectura prospicientur.

De

De præuidenda salute, & morte. Cap. II.

HORVM ergo euentuum si certas præsagiendi rationes, viasq; errare nõ patientes assequi cupimus; has, præterquam sua ipsorum vis, & natura, quænã alia nobis suggerent? A salute autem, & Morte auspicemur. Mors est naturæ, insitiue caloris interitus, quẽ morbosi affectus, noxijue humores, hominis quasi structuram vitiãdo concitarunt. Salus vero e contrario, bona quædam constitutio naturalium munerum effectrix, quam æque morborum præsentia corruptam, eadem vis nocentes caussas subigendo, morbosasq; affectiones funditus delendo instaurat. quod Hippocrates luculentissime indicauit; Naturam in omnibus auxiliari, naturam morbos iudicare, naturam morbis mederi memoriæ tradens. Vnde plane fit perspicuum Naturam, & Morbum, quasi hostes quosdam sese oppugnantes, labefactantesq;, horum finium esse principia: sunt enim ægrotationes hæ veluti domestica bella elementorum dissidio, seditioneq; concitata, quorum exitus fere incolumitas, pernitiesq; existunt. Vt ergo athleticæ concertationis præfecti ex eorum, qui ad certamen sunt instituti, lacertis, & motibus, vtriusque vires elicientes, quis nam victurus sit, non multo labore præsentiũt, sic qui morbosis hisce contentionibus præsunt Medici, non aliunde, quàm ex naturæ, & morbi roboris, neruorumq; accurata inspectione, futuræ salutis, aut mortis iudicium proment. Huc ergo intueri, id cogitare, adhæcq; nos exercere oportet: hæc enim huius rei summa sunt, vt que aiunt, prora, & puppis. Neq; conturbemur, quod Galenus interdum magna argumentorum vi contenderit præter hos scopos, aliũ etiam morbi scilicet futurum vigorem, veluti id curriculum, quo naturæ necessum est noxiam pugnam sustinere, esse præuidendum: etenim, cum nec aliunde, quam ex certa pariter virium naturæ, morbiq; contendentium proportione emanet (ea enim longe aut prope fortior existens, ex longo æque, aut breui interuallo se erigit, caputq; extollit) sub ijsdem propterea finibus comprehẽsum, in alios scopos nos spectare non cogit.

6. de mor. vulg. sec. 5. Tex. 1.

1. de Crisibus.

De morbi magnitudine dijudicanda. Cap. III.

SI ergo morbi vis erit expendenda, in excutiendis ijs elementis, ex quibus ortus est, & quasi concretus elucebit. principio enim est propria natura, veluti febrium igneus calor: sunt deinde noxij humores, qui sæpe inhærentes illam fouent, perpetuoq; efficiunt.

post hæc membra numerantur, in quibus ea sedem suam, locumq; habent, quæ singula mente contrectantes exstimare oportebit, qualis, & quanta sit vniuscuiusque potestas. Vnde intemperierum, quas huius artis materiam esse diximus si vim, dignitateq; examinemus, grandis est calidæ, frigidæq; violentia, grandiorq; calidæ: hæ si quidem multa efficacitate mutant diuellunt, seque magna celeritate longe, lateque diffundunt: parum verò pollent oppositis rationibus humidæ, & siccæ ex quo non iniuria minores hæ, maiores vero illæ morbos concitare censentur. Verum quantitas rationali coniectatione depræhendetur, ad naturalem temperationem, veluti ad suæ constitutionis initium immoderantias illas reuocando: tantũ siquidem mala valetudo grandescit, quantum a bona habitudine recedit: at quantum recedat, quis nouerit, nisi qui eam ad insitam, & naturalem referet constitutionem? Hinc merito eos ægrotos minus periclitari Hyppocrates aiebat, quorum naturæ, aut ætati, aut tempori morbus consentit, quam quibus nil horum congruit: in illis siquidem, quam in his vt breuior est lapsus, sic quoq; minor est ægritudo. At noxiorum succorum, qui illis adhærent, gemina vis existit, quædam illis a natura ingenerata, quædam vero assumpta & aduentitia a morbosis caussis quibus hi succi afficiuntur, aut cõtra a natura, vnde crudi, cocti, assatiq; dicuntur, proueniens. Quanta nihilominus sit vtriusque virtus, vna via expendetur nimirum si quã tum humores similes, dissimilesùe nostri euaserint, æstimemus. Sic ergo primam, propriamq; Galenus examinans asserebat: sanguinẽ esse saluberrimum, veluti dulcissimum, facillimeq; maturescentem, pernitiosissimam atrambilem, vt præceteris tetram, a coctioneque abhorrentem. quod Plato etiam in Thimæo prodidit:: sanguinis serum mite, nigræ vero bilis, sed acidę ferum. Inter hos sunt pituita, bilisq;, sanguini tamen proxima est pituita, quæ dulcis, aut nullius est saporis: semicoctum enim, vt scripsit Galenus, est alimentum. remotior est acida, ceu nulla venarum conuersione propior effecta. at iam inter malos salsa censetur: hic enim humor, cum externo calore exuritur, qualitatem veluti virulentam acquirit. Succus autem melancholicus, etsi terrenam nactus sit substantiã, vt propterea ægre, diuque vincatur, nulla tamen hostili, pestiferave natura tenetur. Sed bili acidæ virides sunt finitimæ, vt q̃ ꝓximè in illã vertantur. his propinqua est vitellina; quemadmodum pallida iam longius abest. hæc est ergo vniuscuiusque potestas. Mixtorum autem præterquamquod liquet faciliora ea esse in quibus lenes etiam succi excedunt; Galenus etiam tradidit pessima ea esse in quibos biliosi pariter, & crudi vocati humores abundant. Verũ, si copiã

7. aphor. 31. aphor.

De constit. ar. med. ca. 16.

1. de morb. uulg. sec. 3. com. 21. & 22.

ſi copia erit æſtimanda, in promptu eſt eo vitioſos ſuccos eſſe grauiores, quo magis exuberauerint: at reliqui ſi affluant, interiectũ morbum producunt, cum viribus quidem fortibus, vt dicemus ſalutarem; cum imbecillioribus autem mortiferum. at vi extrinſecus veniente, quemadmodum aſſati ſucci peſtiferi cenſentur (ardentem enim calorem, a quo toſti fuerunt oſtendunt) ſic elixati, mitiſſimi: vbi enim noxij ſucci maturuerunt, vt Galenus ſcripſit, nõ amplius morboſi affectus vigent; ſed veluti ſenio confecti decreſcunt. Illis confines ſunt, qui aſſantur; his, qui concoquuntur: nã. etſi dum humores maturantur, veluti cum pus conficitur, vt aiebat Hippocrates, dolores, & febres maiores fiant, malorum tamẽ humorum morboſa qualitas, vt Galenus aſſeuerabat, mitis euadit. dimidiati autem ſunt crudi; neque vehementem, neque imbecillem ex ſe conſtituentes ægritudinem. Poſtremò ſedium, vbi excrementa, morbiùe reſident, æquæ & vis, & quantitas erit animaduertenda. partes enim principes, etiamſi lenibus morbis vexentur, ſumma tamen ſæpius conſueuerunt afferre pericula; obſcuras verò etiamſi magni ſolicitum habeant, raro tamen terrorem incutiunt. vnde phlegmones, eriſipelata cor inuadentia, in ipſo limine vitam adimunt, quæ tamen ſi cutem humani corporis integumentum, vel vicina ei membra moleſtia afficiant, facile a natura ſæpe vincuntur. Horum ergo dignitas cum non aliunde, quam ex emolumento, quod homini afferunt ad viuendum, vel quod facile huiuſmodi officio dicatis ſuos affectus impertiant, ſit diiudicanda; poſtquam ſingula membra, Galeno auctore, ob triplicem vſum a natura ſunt inſtituta, vt viuamus, vt bene, beatèque viuamus, vtque vtraque ab omni periculo conſeruentur, animo reuoluendum erit, quod nam ex his commodis affectæ partes apportẽt: vbi enim vitæ fuerint addicta, dubio procul inter primaria erunt referenda; ob horum ſiquidem ægritudinem animal è vita migrare contingit; reliquarum autem præſtantia non, ex ſuo ipſarũ munere æſtimabitur; ſed ex ea facilitate, qua prima in ſuos affectus inducunt; eaque propius, ad primi generis locum accedere erũt æſtimanda, quibus illa facile, remotius verò quibus dificile conſentiant. ad vniuſcuiuſque ergo gradum exquirendum, & quam ſint vtiles, neceſſariæque ad vitam, quamque facile, vel difficile affectus ſuos vitæ deſtinatis impartiant, erit attendendum. vnde ſummam eſſe prodidit Galenus, quinimmo principem cordis officij, munerisque dignitatem: hic enim vitæ arx velutique fons perennis eſt, & focus natiui caloris, qui per omne corpus tranans, animantis vitam fouet, atque conſeruat. Quare, corde affecto, citiſ-

De totius morb. tẽp. cap. 3.

2. aphor. 47.

3. de Rat. uic in mor. ac. com. 62.

6. de uſu par. corp. hum. c. 7.

7. meth. med. c. 13.

ſime animal interire, eoque illæſo mori non poſſe, idque vltimũ eſſe, quod e vita recedit præclare olim a veteribus proditum eſſe animaduertimus. Æqualem etiam ad viuendum cerebrum vim habet; ſed eo ſolum opere, quo pectus, pulmonesque agitans refrigerationem, ſine qua, ne minimo quidem momento animal vitam ageret, cordi elargitur. At ventriculi, iecinorisq; bonum, etſi ad reſarciendam exhauſtam ab inſito, circumfluoq; calore ſubſtantiam expetatur; non iſtorum tamen continuo ſubſidio, vt cerebri, & cordis, indigemus: ſæpe enim conſpicimus animantia, quamuis ob horum viſcerum imbecillitatem non alantur, extabeſcere quidem; at nihilominus diu vitam trahere. Sed his pro rata portione reſpondent maiores arteriæ, & venæ, pectusq; pulmones aſperaque arteria: illæ enim innatum calorem, alimentũque toti corpori diſtribuentes; hæ verò cerebro ad vitalem auram cordi aduehendam ſubſeruientes, huius lucis vſuram animanti cuſtodiunt. Vnde, & Poeta cum Vlixem regi Cyclopum mortẽ machinantem fingeret, eam potiſſimum regionem, vbi caua vena eſt poſita, veluti nobiliſſimam, transfixurum fuiſſe ſic cecinit.

Magnanimo uerſans animo, mucrone reducto,
Aggredier propius; dein, qua præcordia cingunt
Iuxta pectus hepar, uitæ terebrare latebras.

Ex ordine deinceps ſequuntur lien renes, & vtraque veſica, tum quæ locium recipit, tum quæ bilem; necnon & vaſa ijs inſeruientia, quæ cum ad expurganda excrementa à natura ſint deſtinata, organis vertendæ alimoniæ dicatis proximũ locũ obtinẽt. At inter alterius ordinis partes, etſi nulla, quamuis humilis, ſit negligenda; quin, ſi graui morbo detineatur, vt primariæ conſenſione quadam non afficiantur, efficere poſſit (cum, affirmante Hippocrate, totius corporis vnus ſit conſenſus, mutuaque conſpiratio) his tamen, quæ magis illis appropinquauerint, vel naturæ ſimilitudine, affinitateùe erunt coniunctæ, vt venoſum venoſo, neruoſum neruoſo, arterioſum arterioſo, facilius ſuas ipſis affectiones impertientes, maiores honores quam cæteris habebuntur. denique verò earum quantitatem expendentes, in perfacili cognitione verſatur morbos maiores, minoreſue eſſe euaſuros, vt maiora pariter, aut minora ſpatia occupantes, ſuam dilatauerint ſubſtantiam, aut contraxerint. hac ratione Galenus inflammationem eam voluit cenſeri magnam, quæ longe, lateque patentem partem obſideret. Quin Hippocrates etiam grandes eos herpetes vocabat, qui grandia pariter loca

Lib. de Alimento.

3. de morb. vulg. ſec. 3. tex. 52.

vſurpabant. Ternariam ergo hanc morbi naturam conſulentes, proxime ad eius virium, neruorumque exquiſitam cognitionem accedemus.

De naturæ robore expendendo. Cap. IIII.



T, ſi omnis facultatis vires, quarum ſubſidio ſeruatur animal, erunt examinandæ; hæ, cum non vnæ ſimplicesùe ſint, ſed, vt Plato cenſuit, ex tribus generibus inter ſe diſsidentibus quaſi concretæ; ſingularum æſtimatio mente erit agitanda. nam, etſi animantium vita vitali præcipue potentię accepta referatur (hęc enim reliquas exſuſcitat, tuetur, omneſque actiones perficit, & conſeruat; vnde & mors illius potiſſimum roboris extinctione circumſcribitur, & terminatur) ipſa tamen, Galeno etiam auctore, ſine aliarum profugio non poteſt conſiſtere; reliquis ſiquidem emorientibus, vna quoque & ipſa interit. ad hæc eius quoque affectus, ſæpius à vitijs aliarum, maximeque altricis (vt in putridis ferè fit febribus) perpetua quadam conſequentia geniti, altique, pro earum robore, infirmitateùe, grandeſcunt, vel extenuantur; ideo, quamuis iſtius nerui, ceu vitæ effectricis, vt Galenus prodidit, præcipue intuendi ſint: vſus tamen artis, cæterarum quoque cognitionem, potiſsimum cum læduntur, expoſtulat. Harum ergo iraſcibilis, & rationalis, indiuiduæ, vnæque in cerebro, & corde, proprijs domicilijs inhabitantes inde ſuas vires, ceu Sol lumen, reliquis membris ſubminiſtrant: altrix vero vnicuique parti a generationis primordijs indita, in innumeras fere, quemadmodum & corpus ipſum, portiones diuiditur. Principio igitur vnane, an plures laborent, in animo habendum; etſi plures, per quam potiſſimum ægro periculum immineat animaduertendo, in eam præcipue animus erit conijciẽdus. at non omnes, tamquam æquis viribus, parique dignitate animal moderentur, eodem modo dimetiemur. nam, etſi ad vitam tuendam omnium vnus, indiuiduusq; ſit conſenſus; non pari tamẽ neceſſitate, neque æquali conatu conueniunt: vna enim inter omnes eminet vitalis poteſtas, maioremq; firmitatem, quam quæuis alia requirit: ſiquidem hac paruo temporis ſpatio labante, animal corruit, & collabitur; voluntarijs vero motibus præpoſita par fere ad vitam habet momentum; cæterum, niſi a naturali vi ad expellenda e pectore, pulmoneùe excrementa accerſatur, non magnas adeo

9. met. me. cap. 10.

De conſtit. ar. med. ca. 18.

vires

vires expostulat: sat enim est, si tantæ asseruentur, quæ respirationis munus valeant administrare. At altrix, quæ in iecore, & ventriculo ad reficiendam corporis substantiam est collocata; cum, æque ac vitalis, ad vitæ vsus necessarios expetatur; non assiduum tamen, continuamque illius operam præbet: durant enim, vt diximus vegetabilia per aliquod temporis curriculum, licet non nutriantur. Eam vero vim, cui noxios humores nobiliora membra sympathia quadam afficientes, mutare, vincere, ac aliquando e corpore eijcere cõtingit, etsi priuatam obscuramque sedem gubernet; crudiores hi, a nostraq; substantia multum alieni, firmam, vegetemq; exposcunt. Istarum ergo facultatum vires, cum diuini Hippocratis testimonio in semine eo, & sangnine insint, quæ a principio nos effingunt, adaugent, & vsque ad mortem enutriunt, non alia, q̃uam congrua, aut indecens horum corporum temperies, suggerent. quinetiam, cum primigeniam hanc substantiam terrena membrorum soliditas excipiat, & compræhendat, non in errore versabimur, quando ex vniuersæ huius molis quãtitate similiter, qualitateq; illas dimetiemur.

Qua ratione natura ne, an morbus fortior existat, sit diiudicandum. Cap. V.


Osteaquam ergo ijsce vijs & rationibus morbi, naturæq; vires expenderimus; quis nam horum deinceps potentior fuerit, supererit examinandum quod, vt probe, apteq; fieri possit, veniunt hæ quantitates in certas partes, nec maximas videlicet, nec minimas distribuendæ: idem enim habet difficultatis, & laboris minima, qđ & maxima comprehendere. Tria igitur primum membra commode constituentur, medium scilicet, & extrema. Sed hæc quoque iterũ diuidua: est enim in naturæ viribus media conamina assignare, ad quę reliqua conferentes, nonnulla dicimus fortia, quædam imbecillia; velut in morbosis affectibus facta ad dimidiatam naturæ vim, quæ passim in humanis corporibus visitur, collatione: quorum alios, dicemus magnos, cum scilicet vulgari eo naturæ conatu valentiores exstiterint; alios vero opposita ratione leues; neutros autem, qui paribus viribus decertant. Rursus vero singulas has portiones in minores adhuc discerpẽtes; naturæ conatuum quidã imbecilles, aliqui infirmissimi, nonnulli fortes, aliqui fortissimi: sic, & paruorum morborum alij lenes, alij verò lenissimi. Grandium autem partim simpliciter tales, qui & graues, praui, lethalesque di-

cuntur

cuntur; partim vero vehementissimi, perniciosissimiq; vocantur. Illi ergo sunt, qui periculum quidem minantur; non tamen salutis vniuersam expectationem adimunt. hi vero, etsi ita raro ad salutem conuertantur (vt si quando id eueniat, veluti noua res, & admirabilis videatur) recreantur tamen, & e grauissimis his vitijs ægri, vt Galenus etiam prodidit; vbi nempe fortissima vis noxios humores a primarijs membris ad postrema expulerit; aut ad qualitatem sibi similem, & amicam vix tandem commutauerit, ex quo iure Auicēnas Arabum princeps monitum illud, præceptumq; tradidit: Donec vires constiterint, quarum infirmitas sola est certa mortis nota, haud nos sinendos esse a quibusuis terrificis indicijs de spe prorsus depelli. Si ergo ad certam, & exquisitam normam hanc præcognitionem dirigere mens est; postquam naturæ, & morbi conatus iudicio, æstimationeque collegerimus, dijudicare deinceps oportebit, quis nam eorum fortior existat, indeque ad quem victoria veniet, elicere.

Qua via, statuta salutis, & mortis spacia præcognoscantur. Cap. VI.



Vod si deinde eius spacij, quo hi fines sunt euenturi, præsensionis studio trahemur; nec alios scopos contemplari decebit, nec erit necessarium. etenim cum præfinita alicuius exitus interualla non ex alia re quā ex certa virium cōtendentiū proportione emanent, ut alterius exuberantia victoriam ex ea parte futuram ostendet; sic, quam fortior exstiterit, iudiciū facientes, inde statutum eius finis tēpus hauriemus. Postquam ergo in hac morbi, naturęq; lucta, utriusque lacertis inspectis, alterum ipsorum ualentiorem despexerimus; erit deinceps animo, rationeq. lustrandum, quantum unum alteri præstet: id enim quasi proprium argumentum, quod nam erit præscriptum incolumitatis, pernicieique tempus, planum, apertumque faciet. Vnde, ut cum morbus lenissimus est, natura uero e contrario ualidissima, magna huius ui existente, eoq; modicum repugnante, celerrmie morbus ad nihilum recidet; sic, ubi summa istius uis fuerit, infima uero rectricis potentie, hanc citissime eadem ratione in teritutam expectabimus. Quanto autem robore æquales maiori contentione certauerint, tanto pugnæ exitus producentur: ita ut longissime aberint, si pari fere conatu contrarij exstiterint. Sed istorum cursus ad extrema, tamquam exhi qus, ȩinhac re maxime inhærent,

rent,id planum magis, dilucidumq; faciet: is enim incitatior, aut tardior existens, cito quoq; ad salutem, aut mortem adducet: festinãter enim ubi morbus grauior fieri, natura uero infirmari uisa fuerit, celeriter quoq; ęger de uita exibit: contra uero, si morbus cito maturuerit, uis autem in suo robore consistat, salutem breui superuenturam confidemus, tarde autem hi exitus aduenient, si, quæ his sunt contrariæ, rationes emerserint. sed ad futurarum crisium præsensiones accedamus.

Via præuidendæ futuræ crisis. Cap. VII.



SAlutem, & perniciem primos, communioresq; morborum euentus hi exitus subsequuntur, qui morbo, naturaq; non aliqua leui contentione, sed uehementi cõmotione confligentibus eueniunt. hos ueteres, quod in ijs, ueluti in foro sepe magno strepitu de uita iudicium fiat, Crises uocarũt: qua ergo ratione in posterum pręuideãtur, (cum, vt cæteris illustriores animos omnium, oraq; in se conuertant) à rei æque natura, ceu clarissima, certissimaq; indice, exorsi, dicemus. Crisis igitur magna ea est, repentinaq; morborũ conuersio ad incolumitaté, aut necem ab expultrice facultate prodiens grandem inanitionem, aut abscessum moliente. sed breuem hãc, obscuramq; explicationem fusius, dilucidiusq; interpretemur. Diximus itaq; esse permutationé, non eam agitationem, quę hunc motum præire consueuit, quemadmodum difficiles tolerantias, uigilias, deliria, graues somnos, difficiles anhelitus, uertigines tenebricosas, dolores capitis, uanos ante oculos splẽdores lachrimas inuitas, aliaq; huius exempli, ex quibus nomen deductum fuisse uidetur. hęc siquidẽ perturbatio non semper, ubi mala hoc finis genere cõficiũtur apparet; rei aũt uis inuariabilis est & sempiterna. uerũ hanc esse magnam tam clarum est, quã quod clarissimum; subitam uero, quę in promptu sunt, luculente demonstrant: magna enim uulnera insignes intemperies, cum ad naturalé statum reuertuntur, magnas æque inducunt mutationes; has tamen nemo, cum sensim eueniant, iudicia proprio nomine dixerit. Verũ hic motus quiuis non est, non qui in alios affectus recidit; sed ad sanitatem, aut mortem ultimos morborum terminos approperat; neque ex quauis caussa, ut medicis auxilijs, externisue alijs rebus; sed ex morbi, naturæq; cõtrouersia, intestinoq; ueluti bello ꝓcedit, a quo, cũ magna, & sensibilis aliqua inanitio, insignisue abscessus

ſus eueniat, grandis ſimiliter ad bonam ualetudinē, aut ad necem mutatio contingit: non enim quæ citra hæc principia, celeres fiunt cōuerſiones, ut interdum puerulis ex longiori ſomno accidit, morborum iudicia, proprie dicuntur; ſed quæ ſanguinis profluuio, uomitibus, alui deiectionibus, menſtruis purgationibus, hemorroidibus, parotidibus, huiusmodiq; caſibus ſuccedūt. ex hac igitᷣ rei quę ſitæ natura dilucide nobis ea norma ante oculos ponitur, ad quam ſingulorum affectuum pręſenſiones dirigentes, criſi, nec ne ſint terminādi, probabili aliquādo coniectione, interdum etiā certa ſcientia diuinabimus. Vbi enim Criſis eſt magna morborum permutatio liquet paruos affectus non poſſe hoc finis genere terminari, ſed longe ſolum, lateq; patentes. Cęterum, quia non tam magna exſtat, quam ēt repentina; hinc eſt, ut ſinguli magni affectus futuram criſim non enuncient; ſed qui tales exiſtunt, ut repente finiri, aut occidere posſint. vnde quemadmodū diximus, nudę intemperies, luxationes, & ſi uaſtæ ſint, magna hac, uelociq; conuerſione non cō cluduntur; ſed qui ex humoribus ceu ex mobilibus cauſſis proueniunt. Quorum tamen neq; ſinguli apti ſunt eius generis conflictum commouere. cum enim id munus, onusq; ſit expellentis uirtutis, nequeunt uniquiq; ſucci eam uim ad excretionem concitare: qui enim in ſanguinem uerti poſſunt, ueluti eſt pituita, ſiq; inſuper maturuerint, ut naturam non laceſſunt; ſic, quemadmodum Galenus aſſeuerabat, excretione, aut abſceſſu non conficiuntur; ſed potius ſimilitudine conglutinati, pacificationeq; ueluti facta, in eius uim naturamq; uertuntur. qui ergo criſium futuri ſunt auctores, ſic noſtræ naturæ disſimiles infenſosq; eſſe oportet; ut quamuis etiam ab ea eſſent euicti, alere tamen nequeant: hi enim gubernatricem potentiam ad corpus uacuum faciendum, ad abſceſſusue moliendos impellunt. Verum inſuper, cum hoc factum ingens ſit, & laborioſum; hanc æque uim illud architectantem ualidam fortemq; requirit, eamq; ad hæc humorum molem, quæ illam non obruat, opprimatq;: ut enim, dum eſt imbecilla facultas, nequit ea, quæ cō triſtant, expellere; ſic ubi morboſę cauſæ multo ſunt ualentiores, nullum pręclarum prælium initur, nullaq; iudicia eueniunt. magna ergo futuræ criſis ſpes ſuberit, ubi magnos pariter morbos noxij humores efficient; ſi pręterea natura fuerit potens: hæc enim, quando Hippocrates per oſſa abſceſſus fieri prodidit, & per inuias uias materias etiam craſſas exturbat.

Methodus ad euidentem inanitionem, & abscessum præsentiendum. Cap. VIII.

NVMQVID autem grandis hęc conuersio hostilibus humoribus prorsus e naturæ finibus eiectis, aut potius in obscuram quampiam illius regionem relegatis, euenerit, ijdem similiter propositi fines, sed uarie affecti, monstrabunt: natura enim erudita, sapiensq; cum id, quod commodius, opportuniusq; est, nisi prępedita semper agat; ideo pręterquam quod infesti succi ad excretionem, perfectamq; expulsionem non sint idonei, uel uis eijciens infirma, aut uię imparatæ, numquam decretoriæ exinanitiones, ceu eorum integra dissipatio non obuenient. Quemadmodum uerò frigidi, crassi ceu difficulter mobiles, uixq; penetrabiles, crudi & immoderata copia excedentes humores, ut quos natura perfecte conuincere ne queat sunt inhabiles; occlusæ pręterea uiæ interdum in caussa sint, ut Hermocrati apud Hippocratem contigit, ne morbosi humores e corpore deturbentur: ita tenues succi, maximeq; calidi, coctiq;, uegeta adhæc natura futurę noxiorum humorum exinanitionis, ut frigidi, crassi, crudi, aut si contrarij ijs fuerint, uires infirmę uenturi abscessus principia sunt. Cum enim bina hæc impedimenta conueniunt; ut scilicet & uirtus langueat, & succi sint inepti; iudicio lis hæc non dirimitur: sed uel natura sensim prosternitur; aut succi illi uix perquam longo temporis spacio coctione uincuntur.

3. de morb. uulg sec. 2. ęgroto 2.

Quò intuendum, ut locum, per quem morbus iudicetur, pręcognoscamus. Cap. IX.

AT quænam hæc crisis sit futura, sanguis ne e naribus aut ani venis, ex vteroùe effluxerit; vel vomitus aliquis, aut sudor euenerit; aut quod membrum, vel quis articulus, exilio mulctatos humores susceperit, primum affectuum natura humorum scilicet qualitas, sedisque affectæ constitutio, seu istorum euentuum radices, producet: moderatrix siquidem facultas deorsum, sursumq; pro materiei momento, & propensione, necnon & pro partium vicinia, aut societate noxios succos propellit. quis ergo humor morbum committat, & quo vergat, & quod cuique iudicium sit

con-

congruens, acuratè erit inſpectandum. Vnde, cum feruidi, leue sque humores ad ſuperas præcipue regiones ſua ſponte vergant, ad inferas vero frigidi, graueſque; ex illis ſanguis tenuis, bilioſusque e naribus, bilis autem vomitu, vt in ardentibus febribus viſitur, fere eijcietur. quemadmodum, ſi crudis, pituitoſisùe ſuccis calor fuerit admixtus, vt crudi abſceſſum, vt verò calidi in ſuperis partibus ad aures illud progignent. At ex frigidis, ponderoſisùe craſſus melancholicusq; ſanguis per ani venas, quibus potiſſimum effluere conſueuit, multus autem in fœminis per vterum, atra vero bilis, & pituita per aluum, vt in quartanis, quotidianiſque febribus fieri ſpectamus, deijcietur; aut ſi morbus abſcedet, in imos articulos maxime decumbet. Quiuis autem humor, vbi tenuis factus fuerit, aptus eſt, vt per ſudorem exhauriatur: ſiquidem: excretioni huic nullus a natura ſupra, ſeu infra præſcriptus eſt meatus; ſed ipſi ſucci partim per ipſa molliora corpora, quæ eorum incurſioni cedunt impulſa, partim etiam per exilia corporeę molis foramina, quorum & reliquum corpus, & cutis vbique eſt plena, e corpore detruduntur. Verum ſedes affectæ earum compoſitione, & ſitu vias excrementorum longa, vel breui ſerie continuas indicantes, æque futurę criſis locum prænunciabunt. Vnde iecoris gibbæ partes per ſanguinis fluxum e naribus, per ueſicamque veluti per oras, ad quas venæ ex illis, ceu angiportus quidam, pertinent, expurgari amant: ſimę vero vomitu, aut deiectione; latera, pulmonesq; ſputo; renes, veſicaque multis vrinis; cerebrum per nares, aureſque, aut per palatum, tamquam per effluxus accommodatos corpus exhaurient; aut ſi futurus eſt abſceſſus, noxios ſuccos ad neruos, veluti ad ſedes vicinas immittent. ſic dexterę partes dextris, ſiniſtræ ſiniſtris magis cõgruentes, per eas etiam commodius, aptiuſque vacuæ fient. Vnde hæpat e nare dextra, lien e ſiniſtra vitioſum ſanguinem, ubi res uictricis naturæ opera eueniat, eijcere ſolent. Hinc ſi aduerſo, contrarioque ordine cuiuslibet affectus peculiaria iudicia, eorumque originem exquirere volumus, nihil negotij eſt elicere, ardentibus febribus familiariſsimam eſſe ſanguinis è naribus inanitione, ſudoribus e toto corpore manantibus bilioſis uomitibus, deiectionibuſque profligationem. cum enim bilis in uenis præcipue iecinoris, & uentris exſuperãs, ut Galenus prodidit, earum ſit initium; hæc in iecore ſangnine permixta poſtquam eum torruit, caloris impetu ad caput per uenas illi continuas ſublata, uenis narium reſeratis, effractisùe eiuſmodi ſanguinem effundit: in uentriculo uero os ipſius petens uomitum, fundum autem egeſtiones, corporis uero habitum ſudores promo- *1. de mor. uulg. ſec. 1. com. 9.*

uer. eędem etiam eiectiones præter sanguinis profluuia tertianis febribus sunt assuetæ: in his siquidem bilis in carnibus congesta, sanguine cum fere sit imper mixta, raro huius humoris, frequenter uero alterius iudicia facit. depellunt etiam phrenitim & sudor multus; si ex toto corpore, maximeque ex capite, in quo morbi sedes est, effluxerit: coctis enim attennuatisque humoribus, eos natura per inuisos cranei meatus expellit. sanguis etiam e naribus prodiens id genus morbi depellere consueuit: effluxus enim hi loco affecto sunt cohęrentes; ad hęcque eijcienda materia (sanguis scilicet tenuis, biliosusque) illi excretioni est accommodata. contra autem, nec lethargus, nec pulmonis inflammatio sanguinis fluxum amant; sed parotidas pręcipue, reliquosque decubitus: sanguis siquidem harum author inflammationum pituita, crassoque humore permixtus inhabilis est, vt e corpore deijciatur. Sed de uexæ iecoris inflammationes triplici maxime iudicii genere conficiuntur, sanguine quippe e nare dextera uberius effluente, sudoribus copiose manantibus, necnon & abundantibus urinis; conuexę uero, biliosa aluo, sudoribus, nonnunquá & uomitibus: gibbę etenim regioni illi, cauę uero hi meatus sunt accommodati. sic igitur morborum ideę horum euentuum præcognitionem, quamuis inficialem, suppeditabunt. sed necessarię ueluti notę ex naturę inclinatione, ceu iam propria rei substátia, summantur: quo enim uis morbum eijciens uergere uisa fuerit, eo noxios humores expellet. Vbi enim exiguos sudores aut sanguinis stillam, uel parum cocti sputi prius quasi præludens excreuerit, non temere illius quoq; generis excretiones uenturas praesentiemus. quod etiam Hippocrates peripneumonicorum exemplo transigens, expectandos scilicet abscessus esse inquiebat ad inferas regiones; in quibus aliquid ardoris, calorisq; circa hypocondria apparuerit: indicium si quidem id est, humores illius mali effectores, ad inferas partes propendere; ad superas uero, quibus hypocondrium sane flaccidum est, ac doloris expers, at spiratio, aliquo tempore absq; aperta origine difficilis manet; in superq; oris uentriculi morsum, rigoremq; superuenire, quos uomitus est subsequuturus; spirandi difficultatem, & oculorum hallucinationes, cum sanguinis profluuium e naribus expectamus. sed hæc, ut quæ ad signorum tractationem pertineant, secundo uolumine fusius, vberiusq; tractabuntur. Hippocrates igitur potissimum naturæ conuersionem ad hanc, uel illam regionem spectandam esse uoluit; quam decretoriæ notæ, ut quæ earum partium, per quas morbus traducitur, internascentes casus sunt, dilucide ostentabunt.

2. Progn. Tex. 66.

Quibus

Quibus rationibus perfectæ, inchoatæq; crises præuideantur. Cap. X.



ERVM, cum morbosi conflictus hi, modo vincente natura salutares, modo superiore existente morbo læthales; & vtrique, hisce vel ex toto superantibus, vel belli reliquijs etiamnum linquentibus, aut absoluti, aut præcisi eueniant; ad istorum quoque præsensiones, veluti morborum curationibus maxime accommodatas, aggrediendum. an ergo salutem euenta hæc, aut perniciē adducent; postquam huiusmodi grandes conuersiones futuras prę nouerimus; non ad alias pariter, quam salutis, & mortis rationes in posterum prospiciemus: euentus enim hi veluti ex crisis & salutis, mortisùe compositione facti, mista quoque istorum instituta requirunt. at eædem perfectæ ne, an mutilę obtigerint, certæ, perpetuæq; naturæ leges, ad quarum normam fiunt hæc, dilucide exponent. Vt enim colligendorum, condendorumq; fructuum id tempestiuum esse tempus obseruamus, cum iam sunt maturi, mitioresq; facti, qui & sua tunc sponte decidunt; præposterum vero, quando crudi, acerbiq; existunt, cum eo tempore nisi violentia, impetuque possunt auelli; sic optimam tunc, maturamq; malorū messem, vim corpus gubernantem effecturam magna fiducia expectabimus, quando morbosi succi iam fuerint euicti; contra verò, aut acerbam, aut malam, vbi eam præuenerit maturitatem; tunc enim, vel solum concocta deijciens, bona profecto, sed imperfecta; aut amica, inimicaque simul exturbans, mala molietur iudicia. id igitur est, quod erudite, sapienterque ab Hippocrate scriptis est consignatum: crises, quæ præcedenti coctioni succedunt, securam citamq; molestiarum remissionem ijs, qui iudicantur, afferre; quæ vero secus, recidiuam, aut difficiliorem tolerantiam, vel morbi longitudinem; vel quod omnium deterrimum est, mortem. Ad optimum igitur iudicium præuidendum vnus longe, lateque patens scopus erit, nocentis humoris maturitas; quemadmodum non absoluti, imperfectique cruditas. at vero cum huius intempestiui conflictus morbi impetus, naturam irritās, sit initium, a quo ad disturbanda, quæ contristant, præpropera festinatione compellitur; sic ventriculus, quæ mordent, torquent, refrigerāt, grauantque nimium festinanter vomitu, deiectioneùe eijcere cogitur; ea propter ex hac quoque malorum acie, grauiq; molestia

1. de mor. uulg. sec. 2. tex. 45. & 46.

ægrotos

ægrotos, antequam morbi maturuerint; anteùe summam coctionem, ex agitante, eiusmodi immaturas crises, perinde vt cum nil eius generis apparuerit, cæteraque salutem undique promiserint, plenam noxiarum caussarum eiectionem licebit prædicere. Verum melior ne solum conuersio, aut contra deterior, vel potius naturæ dissolutio insequens erit, non alijs, quam mox dicendis, rationibus definietur. Quum reliqua indicia tutum esse a periculo ægrum patefecerint, tantum iudicium maturum tempus præuenerit, salutare id quidem erit, sed vel imminutum, aut infidum; rursusque æger, vel in easdem salebras recidet; aut morbi diuturnitatem, labores, doloresùe secum adducet. Quod si malæ quoque morbi notæ fuerint consecutæ, malus etiam conflictus maxime timẽdus erit. numquid autem humanam structuram morbosæ hæ machinę quatefacient, aut potius funditus euertent, coniectura solum præcipietur. Opus enim erit viro in hac arte multum, sæpeque versato, qui, quantus sit affectus, quantæ naturæ uires, quàmque eas decretoriæ inanitiones debiles sint facturę, verisimili existimatione queat colligere: summo si quidem existente morbo, natura vero non admodum valida, impetuque fluentis materiæ copiosas excretiones præmonstrante, res erit in præcipiti. at si nec vehementissimus fuerit morbus, & ea, quæ nos moderatur facultas adhuc constiterit, virium tantum quassus intercedet. sic igitur crises earũque varij modi præsentientur.

De numero, & vi dierum decretoriorum. Cap. XI.

AD status autem numeros dierum in continuatis affectibus, circuituũ vero in interruptis, quibus hæc eueniunt, præuidendos, prius, qui nam sint hi dies, quãta vniuscuiusque in decernendo potestas, ceu istius operis solum & fundamentum, præiacere conuenit. Vt ergo, qui magna, repentinaq; conuersione dissoluuntur affectus, in quibus vis decretoriorum dierum maxime elucet, partim acuti, partim tardi, partim medij prima distributione dicuntur: sic primaria in numero, grandioraq; spatia, per quæ hi morbi suas ætates decurrunt, triplicia enumerantur. acuti enim cum febribus continuis, vt aiebat Hippocrates, miseros ægros prosternant, ex eoque magno impetu, grauiq; molestia insultent, celeri motu intra decimam quartam fere diem extrema persequuntur, tardi autem his oppositi vltra quadragesimum; interiecti vero aut neutrius,

De Rat. uic. in mor. ac. sect. 1. tex. 8.

aut

aut utriusque conditionis participes, intermedijs quoque temporibus desinunt. ex his enim etsi, vt aliquando dixit Galenus, ad sexagesimum vsque nonnulli protrahantur; quemadmodum & ex acutis, vt Hippocrates asseruit, ad uigesimum; sunt tamen hi potius vel ambigui, ancipitesq;, aut qui raro, insolenterq; contingunt. Verum acutorum alij peracuti dicuntur, & hi bifariam distributi; acutissimi namque quatriduo, reliqui prima septimana desiciunt: simpliciter vero acuti nuncupati partim vndecima, partim decimaquarta; dimidiati decimo septimo, vigesimo, vigesimoquarto, vigesimoseptimo, trigesimoprimo, trigesimoquarto, quadragesimoque; at iam vero manifesto tardi, diutinique, sexagesimo, octogesimo, centesimo, centesimoque & vigesimo ab eorũ vita descifcunt. Cæterum, cum inter acutorum iudiciarios dies quidam etiam intercidant; isti non primaria, propriaque potestate vehementes eas conuersiones ciere censentur, sed secunda vi, aliunde que a præeuntibus, aut subsequentibus diebus impartita. sunt autem tertius, quintus, sextus, nonus, necnon etiam, si lubet, decimusoctauus, vigesimusque primus. vt ergo istis diebus, quasi ad fortiter dimicandum constitutis, frequentes, fideles, constantes, dilucidæ, bonæ, malæque crises, veluti longus vsus notauit, apparent; sic octauo, decimo, duodecimo, decimoquinto, decimosexto, decimonono, vigesimosecundo, vigesimotertio, vigesimo quinto, vigesimosexto, vigesimooctauo, vigesimonono, trigesimo trigesimosecundo, trigesim otertio, trigesimoquinto, trigesimosexto, trigesimoseptimo, trigesimooctauo, trigesimonono raræ, infidæ, inconstantes, obscuræque eueniunt. nam, etsi ex his nonnulli quãdoque decretorij videantur; nulla tamen ex se excitant iudicia, sed a finitimis momentum accipientes, imperitis, ignarisque id interdum imponunt. hi ergo sunt decretoriorum dierum numeri. sed neque alij sunt earum conuersionũ, quæ pariter morbosa hæc prælia commouent: ipsi enim isti existunt, qui dierum in continuis affectibus circuituũ quoque in interpolatis, vt Galenus protulit, fatalem summam conficiunt: quartæ enim, aut septimę diei in continuis, quarta, aut septima periodus in *infractis* exequatur. at vero, etsi singuli hi numeri ad grandes eas, repentesque permutationes, quosuisque exitus impellere videautur; non æquis tamen viribus id facere animaduertuntur: omnium siquidem præpotẽtes sunt tres, qui vigesimum diem complent septeni, septimus nẽpe, decimusquartus, & vigesimus: hi enim & plures, & perfectiores crises, quam quiuis alius, commouent. verum, & inter hos magna quidem *est* vigesimi potestas, sed maior decimiquarti, summa vero

2. de diebus Decre. 12.

In proga, sec. 3. tex. 3

vero ſeptimi . proxime poſt has hebdomadas ſunt quaterniones eas medias diſſecantes ; qui etſi poteſtate non ſint illis æquales , eo tamen aucti ornantur ; quod ſpeciem venturi in poſteris ſeptenis euentus dilucide præſignant. Hæc ſingula grauiſſimi huius negotij ferè ſumma , mira breuitate diuus Hippocrates perſtrinxit , ſic inquiens : ſeptenorum quartus eſt index , alterius ſeptimanæ octauus principium . eſt autem & vndecimus contemplabilis; ipſe enim eſt quartus alterius ſeptimanæ . contemplabilis rurſus & decimus ſeptimus ; ipſe ſiquidem eſt quartus a quartodecimo , ſeptimus, vero ab vndecimo . Aſſeuerans enim quartum eſſe ſeptimi indicem , vndecimumque , & decimum ſeptimum dignos eſſe conſideratione , ſimul & aperte ſatis monſtrauit hos dies eſſe indices , & perfectiſſima , abſolutiſſimaque iudicia , ceu in eorum quaternionibus adumbrata , in ſeptima , decima quarta , & vigeſima plenis compræhenſionibus , completiſque periodis euenire : non obſcureq; expoſuit primum quaternionem cæteris , quod expreſſius , illuſtriuſque ea deſignet , præſtare ; ſeptimumq́ue diem , decimũ quartum , vigeſimumque , vt quæ luculentiores , abſolutioreſque criſes efficiat , anteire . huiuſmodi ergo ſunt eorum dierum gradus , qui proprio impulſu intra vigeſimum diem perfectiſſimum ambitum decernunt. Verum ex ijs , qui intercidunt , nonus primum ſibi aſciuit locum , deinde quintus , poſtremum tertius . ſextus autem e ſeptimi decretoriorum omnium principis conſpectu poſitus, & ſi frequentia prælia committat ; ea tamen praua mutila , obſcuraque ſpectantur : ad morbi ſiquidem longitudinem , vel mortem, aut recidiuam adducunt;vel ipſo iudicij tempore ſenſus abolentur; aut deliria , animique deliquia , nullique deterrimi caſus non oboriuntur . at ex ijs , qui poſt vigeſimum adnumerantur , quadrageſimus , minoribus circuitibus obſoletioribus factis , primo ſolio conſedit . ſubſequuntur deinceps trigeſimus quartus , & vigeſimus ſeptimus . Omnium autem ex ſoluta fere quaternionum poteſtate imbecilliores ſunt vigeſimus quartus , & trigeſimus primus . qui autem poſt hæc conſiſtunt , ſeptenis prorſus veluti deletis , ſoliſq; vicenis permanentibus , ſexageſimus , octogeſimus , centeſimus , centeſimuſque vigeſimus , coctione magis , & abſceſſibus , quam excretionibus , iudiciiſque illuſtribus , morboſos affectus expediunt . Hic igitur eſt admirabilis ille contextus , hæc eſt perennis illa continuatio , & ſeries , qua hi dies ſibi ſuccedunt , interſeque colligantur . ſed ſermonem hunc perorantes , id quod Hippocrates pariter notauit , non prætermittendum : morboſa hæc iudicia acceſſionis ferè die inſtitui , ſic , vt Archigenes clariſſimus medicus

1. de morb. uulg. ſec. 3. tex. 15.

cus

cus bis tantum, Galenus vero ſemel in vita ſua ſecus eueniſſe animaduerterit. Vnde quemadmodum morbi paribus, vel imparibus diebus accedunt, ita ea de cauſſa priſci illi decretorios pariter dies in pares, imparesque diſtribuerunt. quorum numerum Hippocrates colligens, pares retulit eſſe quartum, ſextum, decimum quartum, decimum octauum, vigeſimum, vigeſimum quartum, trigeſimum quartum, quadrageſimum, ſexageſimum, octogeſimum, centeſimum, centeſimum vigeſimum; impares vero tertiũ, quintum, ſeptimum, nonum, vndecimum, decimum ſeptimum, vigeſimum primum, vigeſimum ſeptimum, trigeſimumque ſeptimum. Nec Hippocrati Galenus aduerſatur: ille enim, cum impares dies, vt inſignium ad ſalutem, vel ad necem conuerſionum maxime auctores obſeruandos eſſe tradidiſſet; Galenus in imparibus non ſolum tertium, quintum, ſeptimum, nonum, vndecimum, decimumque ſeptimum inter acutorum affectuum dies adnumerat; ſed & decimum quartum, ſexageſimum vero, & octogeſimũ in diutinis; in medijs autem vigeſimum, trigeſimum quartum, & quadrageſimum. Horum enim ſermonũ varietas inde prodit; quod bifariam iſtos dies numero metiri poſſumus, & ſingulos, & ſeptenos, vt ex quibus, veluti ex elementis, componantur. Vtriſque enim hiſce vijs impares ad promouenda iudicia fortiores exiſtunt. ſingulos ergo ſolum Hippocrates computauit; Galenus autem vnà & ſeptenos. unde, cum decimaquarta ſeptima ſit ſecundi ſepteni, vigeſima tertii, trigeſimaquarta quinti, quadrageſima ſexti; ſexageſima noni, octuageſima duodecimi; cum imparibus hoc modo non abſurde recenſuit.

1. de mor. vulg. sec. 3. Tex. 15.

4. de Rat. uic. in mor. 56.

Galeni opinio de cauſſis dierum decretoriorum. Cap. XII.



HÆc quidem a primis quōdam medicinæ parentibus inuenta, deincepsq; per multa ſecula recepta, cum altam, diuinamque habeant originem; non eſt, ut, dum eam explicare contendo, ijs, qui rerum cognitione, doctrinaq; delectantur gratificaturus abſolutam quiſpiam, exactiſſimāq; explicationem a me expoſtulet: diuinorum enim cognitio in alto magis, quam ut nos humi ſtrati ſuſpicere poſſimus, collocata omnẽ demonſtrationis ingenijq; uim ex ſuperat. ęquum igitur eſt meminiſſe, & me, qui diſſeram hominem eſſe, & uos, qui auditis; ut ſi quæ percipi poſſint ſola dicentur, nihil ultra requiratur. Quod ergo ſtato tempore hæ morborum diſſolu-

tiones eueniant; nunc negotium non facessit: id enim neq; per obscurum ex certa morbi, naturęq; uirium proportione manare est inuentum. sed non omnes dies esse iudiciarios, septenarios maxima potestate esse præditos; ab his quaternarios, quosdamq; insuper intercidere, non nullos ex his coniungi, alios uero diuelli, acutos morbos in imparibus diebus, longos in paribus fere iudicia subire; hæc ceu multa caligine obuoluta abditisq; naturæ meandris intrusa per obscuram, perplexamq; habent inquisitionem. soli Pytagorici rem hanc non difficile extricarunt: hi enim cum a numeris tamquã a rerũ principijs omnia oriri sint opinati; facile illis fuit aliquod commentum, quo hęc adstruerent, excogitare. inde igitur septenarium summa vi esse donatum asseuerant; quia perfectus, suoq; seorsum merito plenus habetur, insuperq; fęcũdissimus, Palladiq; dicatus: eaq; ratione acutos morbos in imparibus potissimum confligere contendunt, diutinos uero in paribus; quia hi fęminam, illi autem marẽ præseferunt. quæ excogitatæ inuentiones nulla rerũ soliditate, sed uanis animi figmentis innixæ, cum iam pridem corruerint, nunc nobis curam, molestiamq; non apportant. At Galenus summus Dux, & quasi signifer noster, dum hac in re uana, superstitiosaq; astrologorum effata sequutus, horum euentuum caussas dare est enixus, in implexos, inuolutosq; labyrintos nos perduxit. ut ergo liberi, solutiq; animi ueritatis satus accipere possint, hanc eius opinionem prius excutere tentabimus. Hic igitur ijs maxime rationibus inductus, quibus astrorum interpretes cælestia corpora mortalium concordia, consensuq;, naturalibusq; eorum, ac perpetuis conuersionibus, nec nõ suis, peculiaribusq; aspectibus magnas in illis ciere mutationes asseuerarunt, censuit Lunam tamquam Solis astrorum principis legatam, horum circuituum principium existere: hanc enim vltimam cęlo at citimam terris, radijs illius accensam, luminis tamquam cęlestis caloris vehiculi, tum crescentis, tum senescentis varietate, terrenos humores mouere, temporum vicissitudines describere, maritimos æstus, fretorumq; angustias moderari, menstruas mulierum purgationes ciere, grauiditates, partusq; afferre, ostreaq; deniq; & conchilia omnia gubernare; vt illius ortu, & & obitu crescere pariter, & decrescere conspiciantur: cuius æque impulsu perfectiora animantia talia pati etsi perspicue non appareat, non uult tamen inficias iri. sed hæc communi quadam caloris facultate moliri censet, multo autem maiora, diuinioraq;, propria, peculiariq; ui; dum uidelicet per signiferum orbem retro, contrarioq; motu uersata, quam a supremo cęlo ducatur, totum eius ambitum perlustrat: extimus enim ille globus arcens, & ceteros conti-

3. de diebus Decretorijs.

nens.

nens, ſemina quæ rerum omnium ſator illi indidit,producens , aut continens, ea ipſa per errantes ſtellas uaria permixtione radiorum in hæc caduca uberrime ſpargit. Cui etiam rei conſentit,quod alibi prodidit; animam ſcilicet noſtram eſſe fulgidum, ęthereumq; corpus e cęlo delapſum,uel ſaltem id illius eſſe primarium inſtrumentum;ex quo iure mores, diuerſaq; hominum ingenia inde prodire ſentit,indeq; ſecundas, aduerſasq; fortunas , prout diuus ille calor ad materiam effingendã congruus, aut diſcrepans influxerit. cuius ęque mentis Ariſtotelem fuiſſe, qui Galenum tuentur, aſſeuerant, cum neceſſitatem cogere prodiderit hunc,qui terram ambit, mundum ſuperis motibus eſſe continuum,ut omnis eius uirtus inde regatur. huiuſmodi ergo, etſi lunam numquam fere nõ agitare uelit, quaternas tamen maximas aſpectuum ui mutationes ciere contendit;cum nempe in eas partes orbis adueniens ſoli , aut natali ſigno coniunctum aliquid,conſentiensq; habentes,(quadratas illi oppoſitasq; nominant)uehementerq; mortalem hunc mundum attigens grandes in illo conuerſiones excitauerit. Vnde eos fauſtos, infauſtosq; dies ęgris,ſanisq; eſſe opinatur ; cum luna alicuius ſigni aſpectibus, in quo illius ſit ortus,corroborata, ſalutarem eius,noxiumue calorem magis efficacem impertierit. Dum enim Aries, exempli gratia , alicui ſalubris , Taurus uero nocuus exſtiterit ; is , luna arietis,uel cancri,uel librę, uel capricorni ſpatia quadrata , e regioneque ei poſita peragrante , beatam , tranquillamq; uitam deget; ijque morbi,eaque iudicia,quę illis diebus incęperint,ſalute finientur:contra uero in Tauro,leone,ſcorpione,& Aquario conſiſtente, dura,crudeliſq; erit illius fortuna, peſtiferique morbi, atque lethales eorum conflictus euenient. Duplici ergo ui cum diuerſis temporum curriculis caduca, fragiliaq; corpora ciere, agitareque uelit prima quidem,& communi;dum luſtrato ſuo curſu,ſolem eſt conſequuta, ſex ſupra uiginti diebus,dimidiatoq; (a menſtruo ſpatio, quod uiginti & nouem dierum , medijque exiſtit, tribus fere diebus detractis,quibus ſolari luce deſtituta in terris amplius non uerſatur.) altera autem longiori,ſeptem nempe,ultra uiginti dies , tertiaque unius parte,quibus ſigniferum orbem uagatur, ut mixta hęc eſt mutatio , ſic mixtis temperatiſq; ſpacijs noxios humores uertere , mutareq; exiſtimat. Cum ergo id tempus quadripartito diuiſum,ut quatuor ſunt partes ui pręditos aſpectus conformantes, ſeptenos dies, imperfectos tamen deſignet ; inde pariter non iniuria prodire aſſeuerat iudiciarios dies ſeptenis quoq; diebus,& ijs mutilis definiri . hi ergo cum,ut illi,de abſoluto ſeptem dierum ſpatio ſex horis, & dimidia minuantur; hinc eſſe affirmat uigeſimũ diem,

7. de Decr. Hip. & Plat. 7.

magisquam uigesimum & unum decretorium existere: illi enim ter iterati nisi summam ultra uiginti dies quatuor horarum dimidiatæq; conficiunt. ex quo facile rationem ostendit; cur primam alteramq; hebdomadam, quasi natura, & genere disiunctas, Hipocrates segregauerit; secundam uero, & tertiam nodo ęterno coniunxerit: neque enim primam secundę connectere fas erat, decima quarta die crises promouente; nec rursus tertiam a secunda diuellere uigesima die, magis quam uigesima prima, multitudinem perfectissimæ periodi huius potestatis necessitate definitam perficiente. hæc igitur sunt, quæ Galenus de ortu dierum iudicialium probabili ratione disseruit.

Infirmatur Galeni existimatio de origine dierum iudicialium. Cap. XIII.

HÆC & si multa solertia p erquisita sint, effictaq;, si tamen accuratius, studiosiusq; agitentur, multa aduersantia occurrent, quæ nō probabili aliqua argumentatione, sed necessaria ui ea redarguant, & euertant. ijs enim sepositis rationibus, quibus præclari philosophi hanc astrorum existimationem funditus fere labefactarunt; id solum pollicemur, neq; designato solo, iactisue ab ipso fundamentis effata hęc inniti posse. Principio enim adumbratus iste mensis nil solidi, nil expressi habet. Nam, cum ex spatijs, quibus Luna & Zodiacum peragrat, & a Sole illuminatur, diuersis, confusisq; uarium & dissimilem Galenus oriri uelit; nulla ratio esse potest, ex qua efficiatur, quando diuersæ pariter ab illis huius quadripartitæ portiones emergunt, ut septenorum uis ab eiusmodi aspectibus (nisi, cum nusquam existunt, motus etiam ciere uelimus) effluat. exiguum quidem id esse discrimen, neque diem excedentem Galeni tutores referre possunt; illud tamen irritum ne facere queunt? sed illis id demus, obsecro, amiceque concedamus. an non uersantur in summa astrorum ignoratione; si propterea decretoriam potestatem in hebdomadas omnes numquam non disseminari existimant; ac si Luna semper singulis septenis ad quadrata, oppositaq; spacia perueniat? numquid non astronomorum obseruationibus est notatum circulis obliquis inferna peragrantibus, ueluti celerius, incitatiusq; conuersam, sexta die quadratam, decimatertia fere oppositam fieri; superna uero, ut tardius motam, nisi octaua, uel nona die quadratam euadere? & hos ergo dies tunc fatalis hęc uis

iudi-

iudiciarios esse cogeret, nō septimā, aut decimā quartā, si a cęlestibus his aspectibus emanaret. Sed si horū dierū legitima hæc est origo, in staque ratio; cur octogesimus, centesimus, centesimus & vigesimus non vni vltra hos numeros iudicia commouent? hos enim magis, quam illos hic calculus iudiciarios faceret, cum plusquam dimidios comprehendat. Quæ nam erit deinde quaternionum ratio cum nullus vmquam aspectus illis respondens sit animaduersus? Vnde per intermissas febres circuituum ijdem numeri, quibus incontinuatis dierum ad crises impellunt? ex quo menses, annique eadem numerorum proportione diutinos, quibus dies, breues morbos conficiunt? peti ne horum initium a lunæ, aliquarum ve stellarum errantium aspectibus poterit, cum nullus sit istis congruens? ab his ergo salebris fas est se expediant hi qui studiose nimis Galenum prosequuntur.

Quæ sint caussæ dierum iudicialium. Cap. XIIII.

HVIVS igitur ego ordinis originem e cœlis irrito, vanoque labore non repetam, cum cœlestis, diuinaq; vis terras incolat; quæ, etsi bruta sit, rationisq; expers, vt tamē rationis particeps, atque ordinis, tamquam via progrediens, cuncta admirabili quadam continuatione, & serie, cœlestique quodam modo dispensat. hæc enim æternam, a qua prodijt, naturam cupide appetens circularibus temporum spatijs, vt superę mentes cœlestes orbes, volubilibus conuersionibus caduca hæc corpora agitat, mutat, mouetq;: quamuis, quod hos motus per septenos, & eos mutilos variando disponat quemadmodum menses, similiter, & anni integris diebus non perficiuntur, nulla certa ratio, quod id quoddam mysterium sit, nisi diuino afflatu assignari, vestigariùe possit. hanc igitur, vt a Deo immortali humanæ menti absconditam, haud æquum est anxio, solicitoque animo exquirere, sed solum suspicere, admirarique conuenit quomodo summus mūdi opifex numero hoc nullum alium magis in eius artificijs affectarit: hic enim hominem cōcipi, formari, edi, viuere ali, ac per omnes ætatum gradus tradi senectæ, atque constare facit: hic oceani æstus dimetitur: hunc luna, vt diximus, in quater septenos æquis portionibus diuisum ad totam zodiaci latitudinem metiendam, remetiendamque consumit. similibus item dispensationibus hebdomadum luminis sui vices sempiterna lege variando disponit. septemquoq; vagantes sphe

tæ illi

ræ illi ſtelliferæ ſubiiciuntur, quæ & ſuperioris rapidis motibus obuiant, & inferiora omnia gubernant. hoc æque mundanam animā genitam numero Platonis Thimæus prodidit. quin ſacris in rebus ſacratiſſimi huius numeri maieſtas effulget. Hinc Pythagorici, qui myſticos numerorū ſenſus alta veſtigatione ſcrutari, ſunt enixi, cū tamquam perfectiſſimum, pleniſſimumque ſummis laudibus extulere. Cuius dignitatis, plenitudiniſque Virgilius non ignarus, plene, & per omnia beatos exprimere volens, dixit:

O terq; , quaterq; beati.

Hic igitur ſimplex exiſtens, acutiſſimos morbos incitatiſſima, celerrimaque conuerſione conficit; duplicatus autem ſimpliciter acutos; eo vero ter iterato, tripla harmonica, geometricaùe proportione, vna exijs, quibus mundanę res iugabili competētia cōnectuntur, acutorum genus vniuerſum ſuos numeros explet; ſecundo autem viceno medij; reliquis vero, vt & menſibus, & annis diutini: hi etenim veluti tardius, lentiuſque impulſi, maioréque, & longiorem expoſcentes tranſmutationem, æque ac orbes, qui per grandiora ſpatia diſcurrunt, ſuos ambitus diuturniori tempore conficiunt. At quaterniones, cum ſeptenorum dimidię ſint partes, eorum uirtutis ſocij, participesque facti, totius pariter operis rudimenta, adumbrataſque proferētes imagines, futuri quoque in illis perfecti indices fiunt artificij. Vnde neque ſuſpicione attingi conuenit, primi viceni hebdomadas inter haſque primam illuſtriores conflictus ciere, ſuoſque quaterniones, & ex his primarium quoque expreſſa magis indicia afferre; quod maiorē quandam vim ſint conſecuti: ſeptenis enim omnibus, & quaternionibus pro rata parte æquabiliter eſt diſtributa. ſed huius rei principiū vt Galenus etiam meminit, eſt malorum impetus, quæ eo finiuntur interuallo; noxiorumque humorum mobilitas, quibus veluti initiis expultrix vis eos e corpore affatim, expediteque exturbare, & cogitur, & poteſt. Hæ igitur cauſſæ cum in morbis longinquitate productis debiles fiant, mirum videri minime debet; ſi inſequentes ſepteni, qui ſuę vitæ curricula præfiniunt, imperfectiora quoque commoueant iudicia, ſuique indices dies rudiores, obſcurioreſque notas apportent. Vnde vigeſimo die peracto, cum iam motus veſtigia, ceu commutanda materia vehementius, acriuſque obſiſtente, quaſi in duriori luto preſſa, dilucide obſcurari, obſcureq; dilucidari incipiant; quaternionum vis ad ſeptenos, ſeptenorum ad vicenos, perfectiſſimos circuitus, hinc ad menſes, & annos,

3. de dieb. decret. cap. 8.

nos, interualla quidem imparia, pro certa tamen portione ratione distincta, transferri videtur. at, quod Hippocrates, quamuis hebdomadæ hæ totæ, vt diximus, integrisque diebus non enumerentur, alterius illarum octauum diem dixerit esse principium; contra rursus decimum quartum, & finem secundæ, & principiũ tertiæ constituerit; nullam aliam proferemus rationem præter fatalem necessitatem, æternamque vim sic compellentem. est enim, vt modo asseruimus, abdita quædam, retrusaque potestas, quæ & numeris rerum temporarias summas ex omni æternitate definitas cõficiendi vim impartit, eaque ipsa imperfecti, non absolutique remanent. Vnde astronomi crebris animaduersionibus notatum memorię prodiderunt, eum numerum plenum haberi, & perfectum, qui maiorem partem, quam dimidiam sui ipsius, contra vero præcisum, & inchoatum, qui minorem, compræhendit. cui rei verax quoque Hippocrates septimestris partus illustri exemplo testimonium dedit. hic enim tradidit fœtum, qui primo, septimoque mẽse citra dimidiam partem diminutis in vitam introierit, huius lucis vsuram propagare; ijs autem vltra mutilis perangusté refercire, continuoque deserere. merito igitur septimus dies, vt cui primi, septenij termino, (qui vigesimi, absolutissimæ periodi, tertia portio est) nisi octo horę desunt, plenus, perfecteque absolutus, primæ hebdomadæ soli assignatur. ex quo sequitur octauum alterius deinde septimanæ primum ad numerari: at contra, cum decimo quarto sexdecim horæ deficiant, quæ minus eius diei dimidio concludunt tanquam mancus non solum secundo septenario finem, sed & tertio principium impertiri censetur. Huius ergo temporarij morborum ordinis naturam continuata motuum serie, quos septenarius mystica quadam vi mouet æque, ac superæ mentes cœlestiũ conuersionum dispositionis principium efficientéque esse asseueramus. at hæc, cum & spiritus impellentes æterni sint, indefessique cœlestesque orbes nulla ferendi patiendique necessitate obstricti, veluti in immobili, perennique solo fixa perpetuis circuitibus eadem manet: illa vero, quando ex mortalibus rebus agitandis exsurgit, impellente vi ceu ex fragili substantia enata, propter pigritiã, aut ignauiam cursum interdum deserente, nonnumquam autem noxiæ qualitatis aculeis, accelerante, veluti fluctibus iactata vacillat. Hic intercidentium dierum est ortus: non enim emergunt, cũ morbus tranquille, & placate traijcitur, sed dum accessionum turbine, tempestateue perculsus cientem vim ad transigenda, quæ contristant, aut incitat, aut retardat. id pariter vniuersalis illius effati est initium, morbosos conflictus ijs diebus, quibus hæ commotiones

2. aph. 24

Lib. de sep. partu.

motiones eueniunt, paribus, vel imparibus excitari; quemadmodum acutos in istis potissimum, vt in quibus bilis, ex qua fere oriuntur, sua sponte commouetur. hinc acutissimi morbi post eorum principia singulis diebus conficiuntur, cum isthæc mala numquam non sint immoderate agitata, fluctuantiaque; ueluti vltra vigesimum semper quieta, & tranquilla nulli intercidere uisuntur. tertius igitur, & quintus potestate vterque quaternarij ob viciniam sibi arrogata decernunt; hic eius vim excipiens, ille vero anteuertens. cæterum, qui hos consequitur sextus iure pessimus existit; vt qui septimum diem omnium præpotentem impetu suo præuertat: non enim summa illius mali vis esse non potest, quæ temere ante hunc diem manum cum hostilibus humoribus conferre naturam impellit. Nonus autem, vt raro septimi diei crises recipit, sic vndecimum frequenter præuenit; decimus vero octauus, vigesimusque primus ob solam fere naturæ inertiam, hic vigesimi, ille decimi septimi, crises excipiunt. Qui enim huc protrahuntur morbi, vt graui incursione non agitant, sic eorum diuturnitate moderatricem vim infirmantes iudicio confici non anticipant, sed potius remorantur ad eos dies maximè a sua ipsorum commotione deducti.

Ad præuidendum Salutis, Necisque diem. Cap. XV.



SED vnde diuertimus, reuertentes, quamuis certa, stataque morbi, aut naturæ excellentia, qua alter viribus alteri pręstat, statos certosq; salutis, vel mortis dies præmonstret: quia tamen alia etiam horum euentuum exstant aperta, obscuraq; principia; neque satis explorata est ea existimatio; hæc prouisio ex aliis etiam argumentis erit trahenda. Quando ergo in iudiciarijs diebus maxima est vis ad hæc vitia terminanda, si morbi vno tenore concitati continuātes, maximè, vbi timorem non afferunt, ad exitum appropetauerint, sique ad id tempus futurum esse pugnę finem ex morbi, natnræque conatu notitiam habuerimus; quarta die proprio naturæ circuitu, nisi culpa aliqua sit commissa, desituros ante sentiemus. Verum, vbi accessionibus agitati, inæquabili, varioque motu fuerint conuersi (cum huiusmodi morbi ijs præcipue diebus quibus concutiuntur commotionibus finiantur, aut interitum consciscant, atque ex morbi naturæque viribus coniecerimus, quartam diem esse finem allaturā

(modo

(modo accesſiones imparibus diebus affligant) non eo quarto die ſed tertio magis, aut quinto conquieſcent. at quiſnam horum exi ſtat; ex celeritate, aut potius tarditate, qua vel natura infirmatur, morbuſque grauior fit, aut hic contra mitior, quin etiam ex cauſſis, quæ celeritatem hanc tarditatemque efficiunt, veluti ex notis percipietur: ocyus enim his conſeneſcentibus, deficientibusùe, corporisque calida conſtitutione, cœlo feruenti, ſimilique morbo præſentibus, tertia die; tardius vero vbi adhæc res moram ſegnitiemque efficientes adfuerint, quinto nempe hi exitus aduenient. Similiter cum ſecundum quaternionem vltimum eſſe ex utriuſque pariter viribus futurum collegerimus; ſi diſparibus diebus accesſiones euenient, celeritatis notis, cauſſisque apparentibus ſeptima dies; tarditatis vero, nona exitum afferret. Sextns autem vltimus erit, ſi dies pares commotiones excitauerint; vnaque celeris motus memoratæ ſignificationes eluxerint; octauus vero, contrariis his ſignis apparentibus. Sed id etiam indices, quos diximus, dies neque obſcuræ, neque incertè repreſentabunt: cum enim mi teſcentis, aut ingraueſcentis morbi, vel conualeſcentis, aut infirmantis naturæ notas detulerint; congruentes illis dies ſalutem, aut mortem adducent. Vnde Hippocratis ſunt illa: Qui ſeptima die iudicantur, ijs nebula rubea quarta die in urina viſitur: huiuſmodi eſt nigra nubes, ſi eadem die apparuerit; vbi pariter cibi, aut potus appetitus vel reuiuiſcerit, vel deperierit; aut ægroti reſurgendo leuiores, vel grauiores euaſerint. hac ergo ratione primus dies quarti index eſt; quartus ſeptimi, ſi quod fauſtum, felixque eſt; ſexti autem ſi malum renuntiauerit: ſeptimo vndecimus, & vt plurimum decimus quartus conſentit; decimo quarto vero decimus ſeptimus, & decimus octauus, vigeſimus, vigeſimuſque primus; vigeſimo autem quadrageſimus. Sed ex intercidentibus diebus tertius quintum, & (ſi damnum aliquod ſit uenturum) ſextũ, quintus nonum, decimus octauus uero uigeſimi primi euenta præmonſtrant. 4. aph. 71.

Quibus inſtitutis hora mortis præcognoſcatur. Cap. XVI.



QVOD ſi mortis horam, quæ res adſtantes in magnã traducit admirationem, nominiſque noſtri commemorationem collatat, animo percipere expetierimus; non aliunde, hæc quam ex ſummo malorum impetu ducetur. vt enim accesſio fere diem oſtẽdit; ſic iſtius deterior pars illius horę ſignificationem habet. non enim

dum morbi ea commotione uigent, ſed interdum cum adueniunt, nonnumquam autem creſcentes, aliquando decreſcentes extrema afferunt pericula: ſiquidem ubi magnæ inflammationes illuſtria membra male affecerint; multiue humores crasſi, lentique redundauerint, introuocatis accesſionis initio ſuccis, meatus intercluduntur; ſuffocaturque, & extinguitur natura. at, cum augentur, & conſiſtunt, eandem non ex occultis inſidijs, ſed apertis viribus opprimunt. verum ubi finiunt, decreſcuntque, vitalem vigorem una cum febrili calore diſſoluentes, grauius interdum ęgrotos afficiunt. Poſtquam ergo antehac, quodnam horum temporum peius exſtiterit, illiuſque horam animaduerterimus, ſcientes in pesſima accesſionis ætate hominem e uita migraturum, inde facile erit eadem hora futurum interitum uidere.

De futuræ criſis diebus præſagiendis. *Cap. XVII.*



AD prȩuidendam autem optimæ criſis diem, hæc eadẽ erit rectiſſima uia, qua etiã ad ſtatos ſalutis dies pſentiendos ſumus progreſſi: non enim ex his termi nis unus, quam alter, latius dilatatur, ſed ęqualibus finibus comprȩhenſi per idem tempus eueniunt. ambo igitur, & prȩfinitus ſalutis dies, & ſtatum abſoluti, ſalutariſque iudicij ſpacium ex certa naturæ uirium quantitate, qua morbum excedit, dehinc acceſſionis die, motuq; morbi, adhæc & indice die, tamquam ex proprijs fontibus, effluent. id ſolum indices dies, ubi criſis eſt futura, prȩter claræ maturitatis argumenta, quaſi auctariũ, habebunt, quod decretorijs nuncupatis indicijs eam deſcribent: in ijs quidem natura ueluti excurſoribus præliola excitans, ſcintillulam uniuerſi conflictus, ut ſanguinis ſtillam, ſputi modicum, aut capitis dolorem, pectoris anguſtiam, naturæ propenſionis notas, iudicijque præmittit apparatus. ſed hæc perfecte criſis præſcripta tempora, quum ſtabiles, optimeque conſtitutas motiones conſequantur, tamquam certa, & definita in poſterum præſentiuntur: at, malarum interualla errationem, uarietatemq; habentes, errantes pariter, uagasq; præſenſiones efficiũt: neq; enim certȩ naturȩ morbiq; uires ea poſſunt oſtendere; cũ maturitatem non expectent, ſed uelu ti acerbæ ſtata tempora prȩuertant. Has igitur criſes indices dies, ſi forte indicari contigerit, uenturas prȩmonſtrabunt; ſin minus, ſaltem decretoria memorata iam ſigna ferè non deerunt, ex quibus, ſi non multo antea proſpicere, at iam iam imminentem ruinam uide

re

re poterimus plerumq; enim crises, ut ab Hippocrate Galenoq; litteris est consignatum, aliqua illius generis anteeunt accidentia. Hisce ergo rationibus prætentato itinere, per amenos, frugiferosq; præsagij campos excurramus.

In nullo esse offendendum, si presagia sint euentura; contraq; malos medicos inuehitur. *Cap.* XVIII.

HÆ quemadmodum apertum, expeditumq; cursum habent ad gloriam; sic nisi multo labore, & diligentia in mentes possunt insinuari. ex quo non omnes uberes, immortalesque huius excellentis uirtutis fructus percipient; sed qui altiore animo prediti, ueritatis cultores, fraudisq; inimici ueram gloriam consectantes, falsam, inanemque penitus contempserint; quiq; inertem segnitiem euitantes, arduas quasque res constanter attentabunt; qui deniq; artificiosarum naturæ uiarum scientes illius optimi erunt ministri, & comites. neq; enim fieri potest, ut alius probe curet, alius uero recte præsagiat; sed unius operę est morbos depellere, & eorum euentus cogitatione pręcipere. O quam rari uisuntur hodie futura pręsentientes; quia non in honestū genuinumq; artis finem, actionum suarū tela conijciunt; sed ad turpe lucellum, popularēq; iactātiam inflectunt. Vnde passim perspiciuntur admirandi isti medici; qui, ut assiduitatem diligentiamq; ostentent, cum ad ægrotos accedunt, nihil putant esse factum, nisi uel cataplasma imponant, uel clystere indant, uel perfundant, uel uenam incidant, uel cucurbitulas admoueant, uel cōfricent, uel pharmacum propinent, uel nutriāt, aut huiusmodi factitent. Quæ sępius flagitia dum phisicę rationis penitus indocti committunt, erudita naturæ opera insulse præpedientes, illius seriem, periodosque perturbant. Id igitur est, quod nusquam non admirabilis Hippocrates asseuerabat: Natura omnino sufficit. Peccant etiam, cum naturalium functionum ordinis, & uicissitudinis obliti, ueteremque negligentes medicinam, morbosos humores etiamnum acerbos purgatorijs pharmacis diuellunt. Vnde non obsequitur cruda, pertinaciusq; hærens affectio, ut aiebat Hippocrates; & quæ morbo resistentia sunt, & sana extenuantur, infirmaq; fiunt; humores item agitati recrudescunt; febresque uel citra iudicium in longum tempus protrahuntur; uel natura imbecilis, morboq; inferior effecta tandem opprimitur. Maledicendi sunt etiam ij, qui cubantium luxuriæ subscribentes, in grauibus morbis ad Petronæ uictum accedunt, frumentaria edulia,

Lib. de Alimento.

De Nat. uic. in ac. morb. sec. 4. Tex. 22

ouaque, ſimul & carnes offerentes; unde natura a pugna ad eorum coctionem reuocata, malum protenditur; uel etiam mortiferum euadit. Neque eſt, ut hanc peſtiferam culpam excuſent; quia noſtra hac ętate homines ſint edaces, commeſſationibusq; dati, ideoq; illis indulgentiæ non nihil eſſe tribuendum. Qui enim tam gurgites, helluonesque hodie, ut Hippocratis ęuo athletę, quorum hoc unum erat ſtudium, corporis molem immoderato paſtu,
6. Ap hor. Com. 28. magnam uaſtamque facere? Galeni uero temporibus; an non inquit ipſe: Homines nunc alimentorum luxu ſic ſe tradunt, ut in immenſum usq; hanc edendi, bibendique intemperantiam prouexerint? Neque tamen ob hanc conſuetudinem ad plenum uictum, ſed ad paullo uberiorem accedebant; utpote a mulſa ad ſuccum ordei, non ad oua, nec ad carnes deflectentes. ſi ergo & recte curare, & futuros morborum euentus prædicere cupimus; non ſunt tranſeundę illæ lineæ, quas diuus Hippocrates in nutriendo, curandoq; tenuit: hic enim & medendi, & pręſagiendi ueras ſemitas direxit. ſed præter hęc ſunt etiam ęgrotantium errata, quæ malorum perturbatione impulſi medica præcepta tranſgrediendo committunt: ut cum, febris ardore acti frigidam, aut uinum biberint: peccant miniſtri etiam, qui iram, aut triſtitiam concitant, officiumq; ſuum deſiderari patiuntur. uarij præterea caſus extrinſecus eueniunt; quę ſingula, cum ſtatos, certosque naturæ motus perturbent; procul, ſi recte & curare uolumus, & pręſentire, eſſe deberent omnino. dum enim noxæ interueniunt; aut celerius mors aduentat, aut morbus exiſtimatione tardius diſſoluitur; & quãdoque errores adeo magni ſunt, ut pro certa ſalute periculum mox afferant. Qui enim prorſus ſine periculo ſunt, ob delicta diuturni fiunt; qui incolumitatem pollicentur, non tamen ſine terrificis ſignis mortiferi fiunt; quinetiam hi, qui periculo uacant, multis, magnisq; flagitijs admiſſis, horribiles, pertimeſcendiq; euadunt. excitanda igitur erit animaduerſio & diligentia, ne aliquæ eueniant offenſiones; ſi, quantũ homini licet, ſine caſu & prolapſione ijs vijs ingredi cupierimus. Neq; tamẽ alicui ignominię uertendum, ſi interdum aberret; in tanta ſiquidẽ corporum uarietate caligat humana imbecillitas, ſpesq; nonnumquam fruſtratur; & moritur aliquis, ut aiebat Cornelius Celſus, de quo medicus primo ſecurus fuit. Vnde, & a medicis quandoque deſerti cõualeſcunt; nonnullosque in ipſis funeribus reuixiſſe memorię ꝓditũ eſt: coniecturalis. n. hęc ars ẽ; eaq; eſt coniecturę ratio ut, quãdo ſępius reſpõderit, non nihil tñ nos fallat. ex quo uir clariſſimus Democritus ne ſatis certas quidẽ eſſe notas ꝓpoſuit uitę finitę.

CELSI MARTINENGI DE PRAEVIDENDIS MORBORVM EVENTIBVS.

LIBER SECVNDVS.



Præfatio.

ARTIS præsagiendi fundamenta iecimus; illiusque scopos, atque proposita circumscripsimus. hæc si nuda, nullisque velis obtecta in animi conspectu existerent; nihil aliud esset reliquum, quam eorundem vsum frequenti exercitatione subeundo, præuidẽdi prudentiam acuere, eiusque constantem, & absolutam perfectionem sibi comparare. at, cum sæpius in corpore condita, tamquam in cæco, obscuroque antro, delitescant; monstranda sunt veluti signa, & notæ, quarum interuentu hæc coram proposita, ceuque ad solis lumen conuersa, sic illustrentur; vt mentis acie facile, dilucideque perspiciantur.



De differentijs signorum, deq; eorum significatione. Cap. I.

HORVM igitur plura cum sint genera diuersa ui prædita, eaque permista, et confusa; ne fucosa similitudine, fallaciq; confusione decepti in summos errores delabamur, singula sunt seligenda, uires item suę unicuiq; reddendæ: quæ enim futuræ salutis, quæ mortis, quæ crisis propria sint insignia proferentibus, inde tota fere pręsagiendi ratio oblitescens emerget. Vt ergo duplices sunt morbi, naturęq; status; unus, qui illis obuenit, dum sua initia effingunt, quasiq; procreantur; alter autem, cum geniti, deincepsq; pugnantes, & uicissim materiam, qua augeri possint, sibi præbentes, radices agunt, propagāturq;: sic duo signorum genera, ut Galenus etiam interdum aiebat, exstant, istorum tamquam impressa uestigia; alterum Pathognomonicum a Gręcis nuncupatum, quod morbi species, sedes nempe affecta, ęgra ipsa ualetudo, caussęq; ueluti morbosa initia, & elementa quodammodo signarunt; reliquum autem Interueniens dictũ, idque, ceu huiusce concertationis effectus, contendentium uicissitudines, commutationesq; describens: Pathognomonicorum concursus, ueluti ex morbi stirpe oriundus, nusquam sine ipso gignitur, illique perpetuus comes adsistit: Interuenientia autẽ, cum nisi augescentem, uolubilemq; morbum insequantur, mutationem habent, separariq; possunt. prioris generis exempla sunt paruus, & frequens spiritus, tussis, febris acuta, lateris dolor, quasi aculeus pungens, pulsusq; durus; rursus uero assidua, inexplebilisq; sitis, adurensq; calor; illa morbo pleuriticos a Græcis nominato, hæc uero ardenti febri peculiaria, ingenerataq;: posterioris autem dormire conniuentibus oculis, turbari mente grauius audire, sanguinem stillare, urina nubeculam repręsentans, ab ortis iam, crescentibusq; malis uarie tamen, dissimiliterq; persępe expressa. quamuis autem non nulla sint utriusq; naturæ haud experṫia, interdumque initio, non numquam postea apparentia (de quibus Praxagoras nobilissimus medicus librum ędidit) quæ malorum dissimilitudines notant, ueluti sputa rubra pleuritidem ex sanguine; flaua exbile orientem, dolor uel ad iugula uel ad pręcordia pertingens, cum supera membranæ pars, aut infera ægrotat, ægre, nulloue labore in utroq; latere cubare, nilq; facileue expuere; quæ in ipso pleuritidis ortu existunt; maioris, minorisq; uulgari magnitudine

1. de Crisib. Cap. 7.

dine

dine formatæ inflammationis indicia:hæc tamen in illis generibus concluduntur, comprehunturq;.Quæ enim morbosas species, & differentias, sequuntur, ipsarum alicui tamqua m affinia germanaq; ad Pathognomonica accedunt; ista uero quæ scilicet magnitudinis discrimina designant ueluti eorum, quæ posterius oriuntur, speciem habentia, Interuenientium n atura uestiuntur. Cęterum,Interuenientium neque unus est ordo:quędam enim humorum conuersiones,morbique incrementa, & decrementa excipiunt;quædam uero morbosos conflictus, ueluti excursores anteeunt.hæc decretoria sunt appellata signa, futuræ scilicet crisis nuncium perferentia;illa uero naturæ,aut morbi uictoriam, uel ancipitem horum pugnam pollicentur. Quæ ergo noxiorum humorum aduentitiam uim ostendunt, ab excrementis fere assumpta, cruditatis,coctionisque signa dicuntur;reliqua uero nullo peculiari nomine donata, communi nomine Salutaria, Mortiferaq; uocantur: ex quibus non nulla omnibus morbis, aut plerisque ueluti acutis, Communia appellantur;.quædam, uni tãtum affectui, uel uni loco cohęrentia Propria;ut pus ijs sedibus, ex quibus emanat, & sputa Thoraci.Istorum ergo omnium uaria est uis, multiplexq; potestas: nam, & si Pathognomonica uocata indicia, quatenus peculiares morborum formas designãt, simul ęque suarum uiriũ principium & quasi seminarium prodant; ad quam tamen magnitudinem ascenderint, aut superiores ne, uel inferiores contra naturam exstiterint,nisi longe hi,multumq; distent, nondum in apertum refertur.Pręcipuam uero, exactamq; huius rei notionem suggerent coctionis cruditatisq; (si apparent)& reliquæ naturæ firmitatis, infirmitatisq; interuenientes notæ;ut Galenus etiam asseuerabat:ab his enim, utpote qua ratione noxij humores, ualetudinis fomites, ad naturam,sint affecti, morbique & naturæ concursum significantibus,de utriusq; robore,alteriusq; excellentia,ceu ante oculos proposito periculo, certi efficimur,. Vnde illorum uim Hippocrates proferens aiebat:Coctiones celere iudicium, securamq; sanitatem significare;cruditates uero temporum longitudines, acrisias, mortes,aut recidiuas.quæ uerba (postquam in eorum mentionem incidimus)ueluti grauia, plęnaq; singillatim sunt expendenda. Celere ergo dixit iudicium;siquidem cum noxij succi maturescunt, proxima est absoluta coctio, quæ malorum uniuersus, absolutusque est interitus; quemadmodum exaduerso longo interuallo distat, ubi crudi,immaturique existunt.non mirum igitur, si morbi tunc protrahantur,cum longe a fine sint remoti;aut si discedentes reuertantur,malorum reliquijs,quæ sola coctione conficiuntur, etiamnum manen-

3. Progn. Com. 39.

1. de morb. uulg sec. 2. Tex. 45.

manentibus. Rursus vero acrisias (inquit) nullas scilicet, vel prauas crises excitare; nullas; si quidem natura eorum eiectionem, nisi multum irritata, molitur: malas vero eadem, si lacessita se erigat, forteque sit imbecillis, graui adeo oneri succumbens; vel si paullum firmitatis retinuerit, bonos vnaque & malos succos, tamquam temere exagitata, exturbat. ijdem quoq; his malis, priusquam coctione finiantur, (si vires debiles sint) ægros rapientibus, interitum afferunt. Quemadmodum ergo hæc, tamquam in rei natura inhærentia, secundam; valetudinem, aut mortem, eorumque stata spacia, sic decretoria, futura iudicia prænuntiant. num ergo conualiturus sit æger, aut moriturus, in posterum nō his prospiciemus, perinde vt nec illis, crisim sit ne subiturus: hæc enim, si versa, commutataque fuerint, contrarijs etiam euentibus communia, nisi contrahantur, & sua cuiusque fiant, ad veritatem non

2. aph. 27. dirigent; quin sæpius nos fallent. Vnde Hippocrates: His, quæ non ex ratione leuant, confidendum non esse; neque formidanda mala, quæ præter rationem eueniunt: plurima si quidem horum instabilia sunt, necdiu consistere consueuerunt. si enim ventriculi, vel capitis dolor, aut delirium, vel tenebricosa vertigo, difficilis anhelitus, anxietas, grauis somnus, huiusmodique iudiciaria signa; quin etiam sanguinis profluuia, alui deiectiones, sudores, vomitus, vrinarum copia, parotides, idque genus, quæ crisim efficiunt, eluxerint; neque statim, quasi minas iactent, mærore afficere nos debent; neque spe, ac si salutem promittant consolari: hæc enim tamquam ambigua, & incerta, interdum morbosas affectiones leniunt, nonnunquam autem grandescentes morbos designant. Qua igitur ratione distingui possint, obscuris quibusdam, &

2. de morb. uulg. sec. 1. flexiloquis oraculis diuus idem Hippocrates docuit, sic scribens; Decretoria non iudicantia partim sunt lethalia; partim difficile habent iudicium: eadem enim, si non fiunt, (inquit) difficilis sunt iudicationis; quæ vero contraria significant, malum; non solum si recurrant, sed etiam primarię naturę contraria repentia. quibus inuolutis verbis voluit summus hic vir, cum signa hæc apparent, expendendum esse, num morbum exhauriāt, necne. si enim ęgrota corpora iuuerint, recreauerintque veluti bona omina erunt censenda: contra vero tristia, si mala in eodem statu relinquant; magisque si adaugeant: tum enim nonnunquam perniciem, interdum

1. Prorhet. sec. 3. com. 35. autem diuturnitatem prænunciant; diuturnitatem quidem (vt Galenus etiam interpretatur) vbi nullam solum utilitatem, morbiue diminutionem attulerint; mortem vero præterea, si subsederint, aut a propria natura desciscentes, ad prauam conditionem deflexerint.

rint. Huius generis erat apud Hippocratem Philiſci acute febrientis ſudor: hic enim frigore perfuſus, lethale, vt mox dicemus, in his malis indicium; neque morbum, vt ingenita vi deberet, diminuens, ſed a naturali eius bono degenerans, necem minitabatur. huius pariter exempli erant ſileni deiectiones ſpumantes, & meræ, non decreſcentis, ſed ingraueſcentis mali indices: ex contrario autem noxii humores Horophonti ad lienem, deinceps ad inguina, mox ad crura illapſi ſalubres proprieque, vereque decretorii exſtiterunt? ab his ſiquidem nox facilior, leniorque fuit, vrinæque maturiores apparuerunt. Papulæ item, quæ Sileno die octauo efloruerunt, ab horum ſerie diuelli nequeunt: nam quamuis leuationem non attulerint, fuerunt tamen in cauſſa, vt vir ille inter exitialia verſatus indicia, nono die e vita migraturus ad vndecimum vſque traxerit. Ea quoque ſanguinis per nares inanitio, quæ Metoni euenit, cum febrem confecerit, naturę munere, operaque id, quod contriſtabat, eiicientis, emerſit. Ex quibus exemplis non difficile elici poteſt, quam perperam ij ſentiant, qui naturæ motus caſu, & temere factos a iudiciariis, optimaque ratione inſtitutis non vtilitate, ſed cruditatis indiciis diuidi putant. Quis enim inficiabitur eam humorum ad viliores partes eiectionem in Horophonte recto naturæ impulſu exortam fuiſſe; quando ſalutis initium hæc ſeceſſio apportauerit? Quis tam pertinax, litigioſuſque erit, vt fateatur Metonis id ſanguinis profluuium extra naturæ leges prorſus exſtitiſſe; ſi morbum ex toto, planeque ſuſtulit? memoratæque Sileni papulæ (quod magis mirum videri poteſt) inter propria, germanaque iudiciaria (ſi Galeno credimus) dinumerantur: hæc tamen ſingula immaturis etiamnum malis comparuerunt. ad nullam ergo normam præterquam ab Hippocrate expreſſam hi caſus erunt perpendendi; an ſcilicet eueniant, vi quæ nos moderatur, malos humores rite exinaniente, ad abiectioraue membra extrudente; aut potius, quod noxiæ qualitatis ſtimulis irritata præcipitet, vel ob imbecillitatem nequeat continere. hic enim, cum ſponte humores uomitionibus, ventriſq; inanitionibus efluũt, tales ne purgentur, quales purgari oporteat, ex eo diiudicandum eſſe cenſuit; ſi iuuent, & ęgri leuiter ferant; quibus legibus eam regulam non ſolum exprimere voluit, ſed & rectum illius vſum indicare, extenuãt ſiquidem interdũ hæc euenta morbos, vt ęgros ſubleuare videãtur: his tamẽ & naturę nonnunquã, quemadmodũ, & athletis in curriculo exercẽtibus, euenit, vt eodẽ proſtrata motu vna concidant. Si ergo nõ tãtũ ęgrotatio-

F nem

1. de mor. uulg. ſec. 3. tex. 18.

Ibidẽ text. 19.

Tex. 20.

Tex. 24.

1. aph. 2.

nem minuerint, verum etiam ea ægroti facile tolerare visi fuerint; in aliquam salutis spem nos ponent. summa quidem, absolutaque iudicia, tamquam omnibus suis numeris, & partibus expleta artificia, numquam fere, nisi morbo consistente, elucent: tunc sane, cum malorum humorum morbosæ redundantiæ coctione penitus sunt excisę, multa tamen inchoata, non planeque perfecta, morbo quoque augescente, quin etiam interdum incipiente, e naturę manibus excidunt; quæ etsi ab illis absint, genere tamen non differunt. Coctionis itaq; & cruditatis indicijs (vt unde digressi sumus, redeamus) & ijs, quæ uirium firmitatem, aut infirmitatem ostendunt, qua si fundo innixis, salutis, & mortis præsagitio erit architectanda; decretorijs vero hærere haud tutum erit, nisi huius veritatis iudicia ad expositas regulas graui accurataque obseruatione fuerint directa. Verum, cum varia sint, quæ maturiores, crudioresque fieri humores naturæque robur ostendant, signorum genera, quemadmodum diuersæ sunt humorum congeries, multis, dissimilibusq; sedibus repositę multiplicesq; potentię, quæ nos regunt, & tuentur, hæc digeramus, & distinguamus oportet; non vt rudes quidam medici consueuerunt, turpi errore confundamus: præsensiones enim ex omnibus, æqua conditione, non hauriuntur; sed ex ijs potissimũ, quæ propriæ singulis partibus affectis & coctionis, & facultatis sunt attributa: hęc enim ægrotationis, naturæq;, ceu parentum, & effectricium, faciem, similitudinemq; secum afferũt. quemadmodum ergo, si cordis morbo (vt in febrilibus affectionibus fit) ęger periclitetur, vitali facultati plurimum tribuimus; quod ob neruosa membra & sentienti, mouẽtiq; ex appetitione; pariterq; vegetatrici, si propter alimento deseruientia organa grauiter ægrotet; sic istarum peculiares, genuinæque notæ tunc magni erunt faciendę. Eadem ratione, cum venter laborauerit, non quibusuis excretis, sed deiectionibus, cum in venis arterijsùe constiterit morbus, vrinis animus erit adhibendus. ita lippitudinum, vlcerumq; statum inutilis ille humor, dum vitia coquũtur, excoquunturùe, exsudans, deniq; singula a sedibus affectis veniẽtia recrementa, quales nam sint noxij humores, veluti eorum dissectæ portiones, declarabunt. Vnde & interdum euenit, quę subito deijciuntur, iecoris, corporisq; totius constitutionem indicare; venter enim illius interuentu cum omnibus partibus cohæret, & continuatur, per eũq; sua recipit excremẽta. Singulę ergo hæ notæ ex ea medicinæ parte, quæ signa enarrat, petitę in sua genera erũt digerẽde, quidq; vnicuiq; conueniat, ex ea copia distribuendæ. sed hæc tandẽ decretoriorũ dierũ auctoritate venient obsignanda: quæ enim his diebus eueniunt, rata, certaq; alijs vero irrita fere, vanaq; euadunt.

De

De signorum potestate permetienda. *Cap. II.*



P**OSTQVAM** ergo salutaria, perniciosaque signa di iudicauerimus; expendendum deinceps erit, quantũ in vnoquoq; virium, potestatisq; insit. etenim, cum futuræ Salutis, & Mortis, statiq; diei scientia in nulla alia re fere (vt superiori volumine diximus) nisi in morbi, naturæq; neruorum iudicio, & æstimatione versetur; hos cum inclusi, abditiq; latuerint, nec vlla præter signorum vires aperient. istorum igitur exquisita vis cum nec calamo, nec oratione exprimi queat, conabimur saltem finitimas, iustoq; proximas existimationes certis descriptionibus Hippocratem sequuti designare. hic enim pariter quædam simpliciter bona, alia magis, & minus, valdeque bona, nonnulla simpliciter mala, grauiaque, & grauissima nuncupans, proxime quam fieri potuit, ad eorum vires, facultatesq; nos perduxit. Vt igitur vniuersa morbi, & naturæ virium latitudo tribus primum interuallis distinguebatur, medijs scilicet, & extremis; sic quæ his respondeant, tres primariæ constituentur signorum species, quorum ea, quæ grauioris morbi, naturęq; vulgaris fortitudinis superioris, vel virtutis, quam morbus inter magnum, exilemq; iniectus, infirmioris; aut eiusdem naturæ subactæ sunt vestigia, ceu timorem afferentia, ægrumque in periculo versari significantia, terrifica dicentur. Contra vero bona, & salutaria erunt, morborũ etiam communibus peruagatisque naturę neruis succumbentium, vel moderatricis potentiæ validioris, victricisque testimonia. Neutra appellabimus inter hæc posita, medios videlicet valetudinis, naturæque conatus, ancipitesque pugnas indicantia: hæc enim animum in deliberando distrahunt, ancipitemque curam cogitandi afferunt. Sed ista sunt prima grãdioraq; discrimina, quæ rursus in minutiora dispertiuntur: nam malorum nonnulla, veluti quæ morbum non summe malum pestiferumue, vel vires non maxime imbecilles, aut non penitus conuictam, superatamq; naturam ostenduut; vt inter quæ proposito timore, aliqua etiam vitę spes superfit, mala, læthalia que syncere; quę vero ad extrema ea deuentum esse nunciant, perniciosa posthac proprio vocabulo dicentur. His apparentibus ita, raro salus euenit, vt si quando audita sit, portento, ac prodigio similis numeretur. euadunt interdum etiam ęgri e grauissimis his malis; verum id fit, cum pestifera vis a claris membris ad obscura se præter spem inclinat; vt Horophonti apud Hippocratem accidit; vel *In Prog.*

3. de mor. vulg. sec. 3. tex. 80. sec. 1. æg. 3.

vbi præpotens, singularisque exempli natura morbosas causas, quamuis validissimas, veluti in Heropytho, Dealcisque hortum incolente factum est, vix tandem superauerit. Cæterum in bona spe ægrum esse ostendunt, morbi paullo viribus nostris infirmioris, aut naturæ morbo præstantioris, vel superare iam incipientis notæ. Tutissima vero ea erunt, quæ infirmam ægrotationem, robustam naturam, vel hæc mala subigentem designant. Vsque autem Hippocrates hæc singula accurate est metitus; vt rursus magis & minus talia, quemadmodum plus, minusùe ad vnam, aliamùe partem inclinant, peculiari nomine signarit.

Quæ ratio ad inquirenda ea signa sit sequenda. Cap. III.

1. Prog. tex. 5.



D hæc ergo exquirenda ea via erit rectissima, & compendiaria, quam diuus ille medicinæ parens monstrauit, id enim fudit oraculum: Tantę rei vtilissimum esse intueri, quo quisque sibi ipsi similis, dissimilisùe euaserit. sunt enim morbi, eaque symptomata, quę ipsos tamquam vmbrę sequuntur dissimilitudines, distantiæque a salubri naturalique statu; vt propterea tanto grandiores, horribilioresque assurgant, quanto a naturali ea constitutione recedunt, versusque mortem vltimam rerum lineam tendunt. si ergo cuinam exitione, an saluti ægri proximiores sint, coniectura assequi cupimus; permetiendus est hic recessus, examinandæque corporeæ illæ qualitates, quæ sensus mouent, quæque innatæ sunt, & insitæ, cuiusmodique sint vniuscuiusque generis integræ functiones; qualiaq; sint naturalia excrementa, tamquam termini, a quibus dissimilitudo, differentiaq; sua sumit initia deinceps quantum ab eo habitu abierint, expendendum: grauissima enim sunt, quæ maxime distant, leuissima vero proxima; magisq; & minus similia, dissimiliaq; magis æque, ac minus salutaria, periculosaq; habentur. his igitur viis fere in significationum scientiam, obseruationemq; nos insinuabimus.

In ijsdem methodis exercitatio; de optimisq́ primum, & communibus indicijs. Cap. IIII.

IAM uero, cum uniuersæ rationes hę, magnęq́; res absq; frequenti usu, multifariaq́; in particularibus exercitatione minime percipi, neque perfectos artifices efficere possint; quod in vniuersum didicimus, in ijs præsensionibus, quas Hippocrates (cui medici omnes præsagij palmam defferunt) longo usu notauit, periclitemur. A maximis autem, & facillimis, ut ipse etiam monuit, exorsi, principio in ingentibus malis faciem ægroti contemplabimur, num bene ualentium uultui, potissimumq; sui simillima permaneat, neque contabescens, neque aliquo prauo colore infecta: saluberimum siquidem id exstat indicium, innati caloris copiam, uegetatricisq; facultatis robur designans; ut quæ ęgrotantis substantiam firmiter contineat, ab igneoq; calore dissipatam facile resarciat.

Ex facie. 1 Prog. tes. 5

Corpus quoque, quod in huiuscemodi malis ęqualiter calidum est, & molle, salubritatem pollicetur: id enim, & insiti caloris abundantiam (ut qui cito in omnes partes diffunditur) & mitem affectum, non ęque ac febris ardens, malignaue inflammatio, illud durum, squallidumq́; interiusue feruidum, exteriusq; algidum, reddentem ostendit.

Ex totius corporis affectus. sec. 2. t. 5.

Æque uero salutare est hypocondrium quod sine ullo doloris sensu, uno tenore in utraque parte est molle; sique circa umbilicum, & pubem cutis sit plena: nullum enim grauem morbum, neque insignem imbecillitatem, in partibus subiectis, scilicet iecore, uentriculo, septo transuerso, liene, quę nobiles sunt, subesse significant.

Ex hypocōdrio. 1. progn. tex. 27.

Inter hæc etiam indicia in quouis malo sunt animi ualetudo, cupiditasq; cibi, & potus, membra fere omnia, quę uitam præstant, in uehementi aliqua ualetudine non esse notantia. ut m ens enim sana cerebrum, neruosas partes, ueluti eius membranas spinalem medullam, septumq́; transuersum quæ quasi cognatione continuatæ conspirant, nullo malo morbo tentari demonstrat; sic fames & sitis uniuersum uentrem, hępar, uenas, & arterias, quorum uigorem, atq; suctionem sequuntur, nec non cor ipsum, quod uno consensu cum illis iunctum est, atque continens.

Ex animi ualetudine & cibi & potionis desiderio 3. aph. 33.

Non periclitatur etiam æger, quem acuta febris occupat; si in latus dextrum, aut sinistrum, ut ipsi uisum est, cubat cruribus paullũ reductis (qui fere sani quoque iacentis habitus est) sique facile conuertitur, resurgendoq́; est leuis. Tunc enim non

Ex decubitu. 1. prog. tex. 5.

tantum ea pars animi, quæ uoluntarijs motibus præest, ad quam pertinet,& corpus firmare,& loco mouere,uerum etiam cor uiget; cuius prospero fauore & cerebrum, & omnes denique partes sua munera obeunt. Inter optima quoq; indicia est facilis spiratio in omnibus morbis acutis, qui cum febri sunt, & intra quadraginta dies iudicantur: huius enim operis functio quę secundum naturam est, nullũ ex mẽbris, uitali ui deseruientibus spiritalibus.s.neq; uentriculum, iecur,& lienem, quæ per respirationem mouentur, aliquo illius generis graui uitio urgeri; quemadmodum sunt inflammationes, nimij, modiciue calores, quibus semper fit difficilis, aperte notat. longi enim morbi cum mora uires exsoluant, etiam sine his terribiles esse possunt. At ex toto tutus est omnis febricitans, pro eius affectionis ratione, quæ in uenis subsistit; uel sit nuda tantum intemperies; sicuti cum thorax, pulmones, cerebrum, aut uenter aliquo febriculoso morbo tenẽtur; uel multo magis, si febricitẽt sine illarum proprio uitio; aut cum inflammatione hępatis, uel renum, uel uesicæ, uel splenis; ubi in urina, quæ uenarum, arteriarumque est excremẽtum, subsederit album, lęue,& æquale, donec morbus fuerit iudicatus: id siquidem, ueluti eius postemæ coctionis, quæ in uasis fit, excrementum, ei, quod a natura est, assimile; & uegetatricis, quæ in illis partibus residet, uires antea per febrem debilitatas, recreatas esse, corroboratasq; noxiosq; succos, quorum est pars, pestifera ui exutos, salutarem penitus induisse declarat. Tale igitur album existit, qualis est color earum partium quæ ex semine gignuntur, quibus natura sedem suam credidit; læue autem summis, medijs, infimis, portionibus ęquabiliter a natura plane superante mutatis; perpetuo autem usque ad finem durat; cum singuli noxij humores uincantur, & maturescant. Æque uero tutum, si biliosus fuerit morbus, idem contentum, etiam si in medio propenderit, aut quasi nubecula innatarit: ij enim succi ueluti leuiores, non æque ac cęteri, tamquam grauiores imam partem petunt. Eadem quoque naturæ uictoria denunciatur, quamuis huiusmodi, quæ subsidunt, fuerint subcrocea, aut nigricantia (ut Aetius est auctor) nisi tamen partes aliquæ emineant, aliquæ uero superentur: nam & si humoribus haud ex toto a natura similibus factis in lucem prodeant, ut quæ adhuc flauam, aut atram bilem redoleant, a quibus ueniunt, deuicta nihilominus sunt & superata. Rubeum quoue lene, si tamen urina inter crassam, tenuemque subfuluam, & flau ãexstiterit, inter has notas dinumeratur: lęuor siquidem proprie coctis contentis attribuitur; color uero crudis etiam sępius communis esse consueuit. Porro aluus, quæ reddit modo

Exspiratione Tex. 25

Ex urina, 2 progn. Tex. 26.

mollia

mollia figurata, eodem fere tempore, quo secunda ualetudine assue uit, modo conuenientia his, quę assumuntur, inter bona pariter indicia numeratur: hęc enim & uentrem, præcipuam sedem, sanum, integrumq; esse ostendit, & eius uires ualidas; ut quæ probe officium suum exsequantur. ei similiter, cuius aluus est cita, secunda ualetudo continget, si contrahitur, meliorisq; fit molis, subrufaque spectatur, neque odoris intolerabili fęditate sani hominis egestionē excedit: condensantur enim, quæ concoquuntur, tenui humido a calore absumpto; rufaq; bilis in hac succorum coctione progignitur, quę aquoso humori admixta eum ad subrufum colorem inducit, quam minime autem fętet, cum graueolentia putredinis potius, cruditatisq; sit comes. Salus æque ei facilis est, cuius arteriarum percussus moderatus, uehemēs, & ęqualis existit: hic enim cor nullo graui morbo ægrum esse significat; adhæc, & uim multum roboris habentem nullaq; humorum sarcina grauatam ostendit. Tollent etiam penitus morbum decretoriæ excretiones, quæ coctis infensis humoribus superueniunt, morbosasque sedant tempestates; tolerabiliterq; feruntur; etiam si liuidæ, cruentę, fętidę, biliosęq; fuerint, aut alijs prauis qualitatibus infectæ, de quacumque item regione, uel aluo, uel uesica, oreue exierint: tantum enim abest, ut periculum aliquod ostendant, ut in proximo futuram salutē enuntient. Huius ęque generis sunt hi abscessus, qui, morbo maturescente, ad inferas corporis partes, potissimum ad articulos, pro morborum ratione excitantur: sunt enim loca hæc ignobilia, ab illustribusq; membris distantia; ob eorumque laxitatem ad recipienda excrementa maxime apta. Papulæ item, quæ frequenter hac ętate febribus interueniunt, si concoctis morbosis succis exoriuntur, in quauis febri; ex qualibet corporis parte, quocunque numero, & magnitudine, uel cuiusuis coloris erumpant, sine ullo metu sunt. id quoque corpus similiter ad sanitatem uenit, quod æqualiter totum sudat; & cuius febris eo sudore finitur.

ex deiectionibus. 2. progn. Tex. 13.
Tex. 16.
ex Pulsu.
ex Excretionibus. 4. aph. 47.
ex Abscessibus. 2. de morb. uulg. sec. 1.
ex Papulis.
ex sudore 1. progn. Tex. 26.

De optimis, proprijsq; notis. *Cap. V.*

NEQVE illæ suppurationes, quæ anguste in exteriorem partem feruntur, & acuuntur, neque inflammationes, si foras tumorem, & ruborem quam maxime uertunt, terrere debent: leniuntur enim hæc mala, mitioraque fiunt, morbosis succis a ualente natura ad humiles, abiectasq; partes extrusis. Tuta quoq; est ea febris, quæ

Ex suppuratione Tex. 49.

ante

ante alterã accessionẽ ex toto quieuit sic, ut corpus integrum fiat. Eaque aqua inter cutem salutaris existit, quæ per se initium fecit, aut quartanæ, aut alteri uetusto morbo superuenit; utique si viscera firma sunt sic, ut cibum æger appetat, facileque concoquat; spiritus sit facilis, uenter per se excernat mollia, & figurata; sique nullus est dolor, et corpus ex omni parte ęque calet, sineq; lassitudine est, in extremisque membris macrum, morbumque facile sustinet; si uenter mollis; si nulla est tussis, nullumque urget potionis desiderium; si lingua ne per somnum quidem exarescit; si aluus medicamentis fluit, si extenuatur; si urina, & uini mutatione, & epotis aliquibus remedijs mutatur. Mature quoque, facileque coxæ dolor depellitur, & si magnos cruciatus excitet; ubi torpore, refrigeratio neque lumbi, cruraque fere uacua fuerint: sic enim hæc mala in ipso ortu arctis & breuibus finibus sunt conclusa, ut nequeant ui sua multum se erigere, supraque naturam extollere. Tormina autem salutaria sunt, si sanguis; & strigmenta exeunt; febrisque, cetereq; huius morbi malæ notæ absunt; his enim tamquam optimis iudiciarijs uitia, quæ ante erant, submouentur; adeo ut etiam pręgnans mulier & conseruari possit; & quod concepit, reseruare. Eadem ratione uarix ortus, oraq; uenarum in ano sanguinem fundentia id genus insaniæ sanant, quod in tristitia consistit. At intestinorum lęuitas ad sanitatem uenit, cum reddi urina, nutririq; corpus incipit; decedente enim frigida intemperie, quasi hyemali tempestate, membra natiuo calore tepefacta reuiuiscunt, suaq; opera exordiuntur. Mitis uero ipsa alui deiectio est, quæ sine febre est; breuique tempore conquiescet, cum attrectato uentre nullus eius motus sentitur; sique ultimam aluum spiritus excipit. sputa quoque in pulmonis, laterisq; dolore si alba, lęuia, interiectæq; inter tenuẽ, & crassam substantiæ exstiterint, securitatem pollicentur. Dum pariter in iecinore est uomica, & ex ea purum fertur pus, & album; uel ex uesica dolente si purulenta urina procedit, in eaque lęue, & album subsidet; in tabe etiam si sputum sit album, ęquale, eiusdemq; coloris, sine pituita, huiusmodique quod a capite distillat, metum detrahit: sunt hæc enim excrementa, ut supra ostendimus, concocti, euictiq; morbi explorata, minimeque dubia argumenta.

De aqua inter cutem 2. Prædict.

De dolore coxendico ibidem.

De dysenteria ibidem.

De Melancolia 6. aph. 11.

De læuitate intestinorum citato 2. prædct.

De alui profluuio ibid.

De Iocinoris uomica. 7. aph. 45.

De Tabe 2. præd.

Bono-

Bonorum signorum meditatio. Cap. VI.



ÆTERVM non ęque in tuto positum ęgrum osten-
dunt, & si secundæ ualetudinis fiduciam afferunt, de- *Ex decretorijs inanitionibus.*
cretoriæ inanitiones, quæ morbum quidem non fi-
niunt, ęgro tamen laborem detrahunt. Huius etiam
exempli sunt coctionis incipientis notę; ueluti,
cum nubeculæ in urina ad fundum non deferuntur, quamuis mor- *Ex urina. 2. Progn. 26.*
bi solutio id expostulet; aut, cum interdum pura redditur, inter-
dum autem subsidet candidum, ac lęue quæ aliquos humores esse *Ex screatione.*
concoctos, quosdam crudos subesse significat. similiterq;, cum pau
ca expuuntur, ea tamen cocta; uel quando, quæ ex aluo, aut ex *Ex deiectionibus.*
palato, naribus, auribus, alijsue locis tenuuia exibant, coacta ma-
gis, crassioraque fiunt. In iucundo quoque utilique somno, qui *Ex somno 2. aph. 1. et 2.*
nempe deliria, febres, inflammationes, uel quid simile restin-
guit, spes futuræ salutis inest. in sternutamento etiam in quauis *Ex sternutamēto 2. pro. 49.*
ęgrotatione, prӕterquā in pulmonia; ut quod noxios succos matu-
rari, uigereq; uim nocua excernentem ostendat. Ex uomitu item *Ex uomitu Tex. 48.*
(si quis incidit) mixto ex pituita, & bile mitis, lenisque morbus
notatur; quod insigni calore, frigoreue, ex quibus synceri humo- *Ex somno & uigilia. Tex. 11.*
res fiunt non affligat. idem quoque denunciatur, si ęger noctu
dormit, interdiu uigilat; si nulla est sitis, si corpus sine lassitudine
est, & morbum facile sustinet. Non difficilis insuper ei salus est, *De lateris pulmonisq; affectibus Tex. 43. & 44.*
qui lateris, pulmonisque morbis afficitur, si facile excreat; aut
inter initia sputum edit mixtum rufo quodam, & sanguine. ei
necnon bene sperandum cui uenæ, arteriæque ęgrę sunt, si uri-
nam fecerit, in qua pariter subsistant subrubra, & lęuia: sunt enim *Ex urina.*
hæc mitis humoris morbum efficientis indicio. In spem adęque ue *De aqua inter cutem. 2 prædic.*
nimus, eos, quos aqua inter cutem male habet, sanabiles esse;
ubi plura ex his, quæ supra posita sunt salutaria illius apparēt indi- *De lęuitate intestinorū & Torminib. ibidem.*
cia. Iniens quoq; ętas intestinorum lęuitati bono est, ut tormini-
bus progressa: hæc enim ueluti siccior minus putredini patet, cuius
iniuria id uitium facile serpit; ea vero ingenito calido abundans
uentriculi concoquentem uim eneruatam procliuius restituit.
Neque difficile iuuenes articulorum uitia, si callum non ob- *De morbo. Articulari & de comitiali. ibid.*
duxerint, neque pueri comitialem morbum euadunt. atque
utrisque ea maxime emolumentum faciunt quæ quouis mo-
do deiectione funduntur. Tormina similiter lienosis proficiunt:

De lienosis 6. aph. 48. in his enim omnibus corpus purgatur;& quod intus aut lędit, aut lęsurum erat, emittitur.

Terribilium indiciorum communium exempla. Cap. VII.

Ex hypocō drijs. 1. pro gno. 27. AT contra mali morbi signum est ardens hypocondrium, aut dolens, aut durum, aut tumidum; magisq;, si hæc dextra, quam sinistra parte sentiantur: subest enim (nisi musculi in morbo sint) sacer ignis, vel inflam matio, vel magna obstructio, aut flammea caliditas hæpatis, aut ventriculi, aut præcordiorum, aut lienis, insignium partium. Malum quoque est, si intenditur: hoc enim uel ob memorata vitia prouenit, aut ex summa siccitate; vel vbi a septo transuerso, quem affectum eadem mala præhendunt, vicinæ partes velluntur. ibidem. in maximo autem periculo æger est, si arteriæ vehementer ibi adeo agitentur, vt vel ipsi innotescant, vel nobis ipsis tangentibus sentiantur: id enim vastas dumtaxat consequitur Ex febri. 1. de morb. vulg. sec. 3. tex. 5. 4. aph. 43. inflammationes. Timorem quoq; facit id genus febrium, quæ ter tio quoque die vrgent, neq; ex toto remittunt, hæmitritæon Græci nuncupant: continua enim molestia hominem affligant; atq; ex pessima ea mixtura pituitæ, & bilis proueniunt. Terribiles item sunt, quæ grauibus, laboriosisq; accessionibus sine intermissione pręmunt. Horribiliores, quæ nihil remittunt; sed æque concitatæ continuant. Ex delirio. Maxime quoque verendum est, vbi æger desipit; potissimumq; si modestus sit, suiq; cognoscens: tum enim malum dilatatur, ad cerebrumq; non obscuram sedem extenditur. Grauis etiam morbi nota est, noctu in vigilia manere; quamuis inter- Ex somno, & vigilia 2. progn. tex. 11. diu somno se tradat. Grauius est vigilia, somnoue supra debitum vrgeri: hunc enim morbosa frigiditas, vel humiditas exaggeratę perdiu naturalis flammæ aditum ad membra, ad sensusq; intercludens efficit; eam vero cumulata ignea caliditas, vel siccitas foras magis, quam par sit, eliciens inducit. Grauissimum vero, si nocte, dieq; perpetuant; summa enim hæc immoderatio non aliunde pa 4. aph. 53. ex labijs, ex dētibus, ex voce, ex lingua, ex conuulsione. riter, quam ex summo vitio venit: vt enim excubiæ sine perenni fere dolore, laboreue, aut delirio esse non possunt; sic sopor veternosæ affectionis fere initium existit. At in acuta febri incutiunt formidinem interrupta labia, aut glutinosus humor dentibus inhærens, vel arida lingua, clangens, acutaq; vox, neruorum pariter distentiones: eueniunt enim hæc, membris, aut humoribus præ nimio

mio ardore torrescentibus. Neque iniuste exulceratæ fauces ter- *Ex faucib⁹*
rent, si cum malis notis coeant: illis enim maligni, rodentesque *3. prog. 15.*
humores caussæ sunt. in difficili autem res est, vbi æger ægre spi- *Ex spiratio*
rat: magnus enim creberque spiritus ex spiritalium partium fla- *ne 1. progn.*
grantia prouenit: breuis verò, & densus ex eorum dolorifica affe- *tex. 24.*
ctione, aut ventriculi, iecoris, lienis; quæ, cum homo anhelat, pari
ter agitantur. is autem, qui longe, lateque raro trahitur, turbatæ
mentis est indicio. Vehementer etiam periculosum est ægrum *Ex decubi-*
anxium, & inquietum esse, brachiaq; & crura nudare, inæquabili- *tu ibidem*
terq; ea dispergere; tametsi igneus calor illis non subsit: id enim *tex. 16.*
vel oris ventriculi vitio fit, aut propter virium infirmitatem. Ma- *Tex. 20.*
lum similiter est signum in ipso morbi acuti impetu residere: quod
quidem euenit, vel ex vehementi spirandi difficultate, vel ob deli-
rium, aut inquietationem. Ex mali quoque morbi notis sunt vix *Ex screatio*
excreare, dolorem habere continuum, morbumq; toleratu diffici- *ne & tole-*
lem; somni etiam noxam afferentes, vt timores, conuulsionesque; *rantia 2.*
noxios enim succos ad cerebrum propagari declarant. At in vi- *prog. 56.*
sceribus grauis inest inflammatio, vbi in acuto morbo, ventre, & la- *Ex somno*
teribus calentibus, caput, pedes, manusq; algent. infirmam autem *2. aph. 1.*
vitalem vim ostendunt pulsus parui, & languidi; infirmiorem ad- *Ex frigidi-*
huc, qui decurtati nuncupantur: exoriuntur enim ea sic morbi *tate extre-*
vi afflicta; vt neq; leue digitorum onus queat sustinere. ex his ta- *morum. 2.*
men deteriores sunt in eodem statu manentes, quam qui reuersio- *prog. tex. 4.*
nem faciunt: in istis enim facultas se erigit, recreatq;; in illis vero *ex pulsu.*
iacet. Mali quinetiam sunt inæquales pulsus; vt qui oppressam
a morbosis succis vim consequantur. Sed inter hos tolerabilius
est, si infirmos, & exiles, magni, & vehementes numero superaue-
rint. Si quando quoque æger grauis sibi videtur reliquo corpore, *2 prog. tex. 7.*
manibusq;, & pedibus; quemadmodum etiam post cibi cupidita-
tem, postue longas febres hunc fastidire, periculosissimum est indi- *Ex cibi fasti*
cium; vt, & vltra quam febris magnitudo, aut tempus, vel ægro- *dio 7. aph.*
tantis natura, aut aeris temperies, vigiliæ, curæ, inediæ, motus, *6. et 2 eius-*
euidentesue inanitiones, idq; genus reliqua expostulent, emacre- *dem 33.*
scere: partim enim ob vegetatricis potentiæ, partim ob mouen- *Ex corpo-*
tis ex appetitu infirmitatem eueniunt. ea vero deiectio, quæ in fe- *ris macie*
bribus frequenti surrectione hominem exagitat, ex malis ad- *ibid. 28.*
æque iudiciarijs est: si pariter quod descendit, perliquidum exi- *Ex deiectio*
stit, vel albidum, vel pallidum, vel spumans: nocentem enim hu- *ne. 2. prog.*
miditatem, vt quæ nullis finibus conclusa immoderate fluit, cru- *tex. 14. & 20.*
dam penitus, inuictamq; esse significat. item impense fulua a bile
intemperata, puraque; hacque peior viridis ex porracea, vel eru-

ginosa prodiens. id quoque, quod post has, quemadmodum, & a longis febribus ab vniuersa ichorum admixtione vacuum, syncerumque excernitur, pessimi morbi, qui ingenitam omnem humiditatem fere consumpsit, est testimonium. Similique ratione exiguum, glutinosum, candidum, aut suppallidum, læueque ex pinguedine ob febris ardorem colliquescente dimanans. At exigui vomitus inter timoris caussas eo sunt; quod quæ hoc modo funduntur, vel non queunt ob eorum abundantiam, inimicamue qualitatem sufferri, vel ob naturam noxia excernere conantem, sed præ imbecillitate nequeuntem. Vbi vero syncera pituita, aut bilis per os eijcitur; hæc intolerabilis caloris, illa vero nimij frigoris sunt argumenta: his autem peiores sunt virides, aut nigræ, tamquam ex corporis incendio venientes. Omnes item putidi odores in vomitionibus mali sunt, quod cum ea, quæ in secunda valetudine vomuntur, ne paullum quidem, iniucundum, grauemque odorem oleant ex graueolentia noxios succos a natura multum recessisse connotent.

7. aph. 6.
2. progn. tex. 20.
Ex vomitu. 1. prorrhet. sec. 2. tex. 47.
2. progno. tex. 38.

Vbi quoque post vomitum singultus est, vel oculi rubent, valde auctæ, exaggerat æque sunt cerebri, ventriculiue inflammationes. sed valde flauæ vrinæ timorem inijciunt; quia ignescentem, auctaque bilem sequuntur: duriores his sunt virides, sic a viridi similiter bile coloratæ: huiusmodi sunt, quæ tamquam nubeculas nigras, aut ex farina crassiori, vel furfuribus factas, rubeas tamen nobis repræsentant. Durissimæ vero, in quibus similia ad imam sedem descendunt; illæ enim ad summum calorem, frigusue nigrescunt; hæ vero ex tenellarum carnium, aut crassioris sanguinis assatione delabuntur. Periculosissima item sunt tenuuia contenta, spumæque speciem præseferentia, si in acuta febri visuntur: notant enim naturam malos humores leui solum brachio mutare. Vbi quoque simili morbo iam progresso, vrina tenuis fuerit, crudum adhuc esse morbum ostendens, periclitatur æger, ne vsque trahere possit, quo morbus decrescat. summe autem mala est tenuis, & perlucida, ex summa pariter cruditate existens. Visuntur vero in vrinis innatantia quædam, veluti aranearum telæ, quales sunt maxime continuæ, atque velamini subtili similes. Interdum etiam feruntur in superficie vrinæ quasi puncta olei; quæ cum ex flammeo pariter calore adipem colliquante eueniant, inter graues morbi notas dinumerantur. Periculosum item est ante septimum diem, vel si hypocondrium dextra parte obduruerit, arquatum morbum oriri: hic enim graui iecoris morbo, vt inflammationi obstructioni, duro-

Ex singultu. 7. aph. 3
Ex vrina.
2. progno. 29.
Ex Regio morbo. 4. aph. 62. & 64. 1. de morb. vul. sec. tex. 64

ue

ue tumori insequens est. releuantur tamen ægri, vbi alia ratione, veluti per vrinas, alui excretiones, sanguinis e naribus effluentiam natura retrimentum excreuerit. Multum item sudare, maximeque frigido sudore, aut post sudorem inhorrescere, vel habere sudores non per totum corpus æquales asperioris morbi notæ sunt: etenim summam vel humoris copiam, vel reiectricis virtutis infirmitatem ostendunt. Calidis tamen idcirco frigidi peiores sunt; quod ex morbo illi calfacto, exusto, attenuatoque hi autem eo adhuc integro prodeunt. si nares æque sanguine stillant, in periculo res est: conata siquidem est natura collectam in cerebro humorum abũdantiam expellere; sed nequiuit. Huius etiam exempli sunt papulæ, quæ malignis febribus incipientibus elucent; neque tamen eas minuunt, aut conficiũt. inter has tamen peiores, quæ interna occupant, vel foris faciem, plures paucioribus, maiores minoribus, ardentes pruriginosis, violaceæ rubeis; quæ aluo fluida, reddente, vel vomitu frequenti in conspectum veniunt: aut enim naturæ vires imbecilliores, aut noxii humoris maiorem affluẽtiam, aut nequiorem naturam enunciãt. Periculum autem intendunt urinæ turbatæ, quales iumentorum, si vna cum his constiterint: bilis siquidem, & pituitæ infaustum congestum designant. Sed hæ quidem communes sunt notæ.

Ex sudore 4. aph. 42.

Ex papulis



Suorum

Suorum cuiusque morbi signorum quæ metum afferunt commentatio. Cap. VIII.

De pulmonis & pleuritide. 2. prog. 45.



N pulmonis autem morbo, laterisque dolore non procul a discrimine æger est; si sputum primis diebus non expuit; si septimo die, vltraùe incipit; si ægre excreat: tum enim crudior est affectio facileq; accidere potest, vt vi sua hominem præripiat, antequam mitior fiat. Peius vero est, si syncerum editur, vel flauum id sit, vel cruentum, vel album, glutinosumùe, ac rotundum, aut viride, & spumans; nigrum vero deterrimum: illa enim torreri noxios succos, hoc vero assatos iam esse demonstrat. Quæuis autem screatio in vniuersum dolorem non minuens, vt ex decretoriis, quæ adiumento non sunt, terrere debet. Neque in pulmonia grauedo, sternutamentumque (quamuis alias consolationem afferat) metum leuant; quin potius maximum faciunt: tantum enim id malum dilatatur, vt noxam cerebro etiam impartiat. Huiusmodi est aluus liquida, si memorata vitia sequatur, ob affectionem ventriculo, aut iecori communicatam eueniens. At inter suppurationes grauissimæ sunt, quæ intus eruptionem faciunt sic, vt externæ quoque cutis colorem vitient ex his autem, quæ foras exeunt late patentes, æquabilesque deteriores: augentur enim illæ amplæque fiunt, ad nobiliores sedes sese vertentes: hę vero a primo satu grandiores ex crudioribus humoribus procreantur. Hydrops quoque ex morbo acuto ortus, raro, insolenterque ad salutem redit: huius siquidem mali caussa in iecoris, ventriculi, aut tenuuium intestinorum graui inflammatione consistit. Vbi pariter neruornm resolutio totum corpus infestat, quamuis mediocris sit, vix aliquid spei relinquit. Vt enim ægre, tardeque crudi, crassique humores idipsum efficientes discutiuntur; sic ipsi pectus motu priuantes, vitam festinatione præripiunt.

Grauedine & sternutamento. 2. prog. 49. Ex aluo liquida. 6. aph. 16. De suppurationibus, 1. prog. 40. De hydrope. 2. prog. Tex. 1. De apoplexia. 2. aph. 42.

Signorum nullarum partium imagines. Cap. IX.

Ex sudore 4. aph. 31. ex abscessibus apho. 51. 2. aph. 28.



NTER hęc autem interiectus est sudor, qui febrē non exhaurit, aut vbi frigidus in febre non acuta emanat; vel, quod inter febres abscessum fecit, ad sanitatem non reducitur; aut cum æger pro tempore leuiter extenuatur; vel vbi corpus modicis interuallis

uallis friget, caletque, aut varijs coloribus inficitur: hæc si quidē multorum, crudorum, dissimiliumque humorum indicia cum viribus infirmis futuram mortem cum valentibus salutem prænuntiant. Inter magnum quoque, pusillumque morbum sunt febres quotidie eodem tempore reuertentes, ex frigida, vel saltem crassa materia, quę difficulter euincitur, enatę. Si autem, supinus æger iacet porrectis manibus, & cruribus; sique pulsus nec tactum fortiter impellunt, nec ab eo retardantur; cum graui morbo hominē periclitari cum miti uero in bona spe esse argumento erunt: illud quidem impetu animi mouentis facultatis, hoc vero vitalis medias vires attestando.

4. aph. 42.

De febre 4. aph. 30.

Ex decubitu. 1. prog. tex. 14. ex pulsu.

Imperniciosis indicijs communibus exercitatio. Cap. X.



T certæ mortis notæ sunt inter morbi initia nares acutę, oculi caui, lapsa, contractaque tempora, frigidæ, in angustumque deductæ aures, infimisque partibus flexæ, cutis circa frontem dura, & tensa, color, aut niger, aut viridis: hæc enim forma (nisi externa res eam expresserit, vt vigilia, fluens aluus fames, huiusmodique ex quibus interdum existit, sed vno die finitur) & summi index est mali (ignei nempe caloris carneas, humidasque spiritales partes consumentis) & summæ ingeniti caloris egestatis, vt qui ad extremas regiones non diffunditur, sed in mediis inhæret. Quēadmodum enim humida, mollioreque portione dissipata terrestris, & ossea mortis imaginem repræsentat; sic insiti caloris interitu remota membra algent, decoloranturque. verum in morbo triduano, aut vetustiore, præter hæc alia quoque signa sunt consideranda, potissimum autem, quæ in oculis apparent: hi enim totius corporis conspirationi consentientes non ægre illius affectionis participes facti; eius notas, & signa continuo deferunt; si igitur lucem fugiant; si contra uoluntatem illachrymant; si alter altero minor fiat; si in ijsdem venulæ liuent, aut nigricant, pituitaque ab his defluens angulis adhæret; si in somno palpebræ non coniunguntur, sed inter has ex albo oculorum aliquid uisitur (nisi aluus sponte, aut medicamento fluxa caussam dederit;) si eædem, labra, & nares liuent, (quæ propter vltimam virium debilitatem obtingunt,) si oculi valde subsident, aut in tumore sunt, vel alba pars rubescit, siq; iidem, aut palpebræ, aut nares, aut supercilia cō uelluntur, quæ amplissimorum malorum vestigia sunt, interitus

Ex facie 1. progn.

Ex oculis 1. progno. tex. 10. & 11. & 12.

periculum

Ex sensu 4. aphor. 49. periculum ostendunt. Cum uero ęger non audit, uel non uidet neque id, humoribus, aut uaporibus ad caput sublatis, sed ob imbecillitatem eueniat, in proximo mors est. sed nec is in uita manere potest, qui ad pedes delabitur; aut ubi dormiens continenter hiat; ubique ungues, digitique liuent, frigidusue est spiritus; aut cũ ulcus, quod ante, aut in ipso morbo natum est, liuidum, & siccum, aut pallidum, & siccum existit: summæ enim hęc aut animi, cuius munere mouemur, aut uitalis potestatis, aut naturæ infirmitatis sunt argumenta. illa pariter mortis sunt indicia supinum cruribus admodum cõtractis, distractisque cubare, in acutaq; febri, uel phrenitide, uel pulmonia, capitisùe dolore manus ob uultum ferre, aut frustra uenari muscas, festucasque colligere, uel e ueste pilos euellere, aut in proximo pariete stipulas carpere, uel etiam, cum falsis his uisionibus uehementer intentus, earumq; actionum, quæ propter uitę necessitatem sunt, ueluti oblitus spiritum magnum quidem, sed ex multo interuallo trahit: grauissimi siquidem, perniciosique sunt hi morbi, qui tantam cerebri offensionem concitant, ex qua tam ualde ægri desipiant. Capitis item dolores uehementes, & continui cum febri, si una etiam aliquod ex lethalibus signis exstiterit, ob maximum cerebri damnum euenientes inter huiuscemodi indicia recensentur. Tam quoque pestiferum est si, febri non quiescente, exterior pars friget, interior sic calet, ut etiam sitim faciat: maxima si quidem in nobilissimis internis sedibus, inflammatio subest, quę, quasi cucurbita, totum fere ex proximis partibus spirirum, & sanguinem allicit, non sine etiam naturæ, quæ solidis corporibus hæret, interitu. Is, quoq;, cui uehementer febricitanti collum repente sic peruertitur, ut uix possit deuorare, nullo tumore neque in faucibus, neque in ceruice apparente, e uita cedet: id enim euenit, conuulsis neruosis partibus, quæ ad gulam sunt, irreparabili humiditate a febrili incendio dissipata. Pestiferus item est durus, & dolens tumor, qui in uniuerso hypocondrio inest: notat enim iecur, uentriculum, lienem, quæ sub cartilagine sita sunt (membra ob maximum, quem cum corde ineunt consensum, nobilissima) graui inflammatione tentari. Perniciosus quoque est somnus, qui incommoda, ut neruorum distentiones timores deliria somniculosas affectiones, febrium, dolorũue incrementa excitat; siq; maxime in accessionum remissione id fecerit: eo enim tempore insitus calor ad interna collectus, ubi noxias caussas non subigerit, quin potius augeri permiserit, quì de ęgri salute non desperabimus? sic enim fortes, inuictiq; sunt noxij succi, ut nec omnibus naturæ uiribus cedant; sed uel magis efferuescentes, tetris exhalationibus illustres

Ex decubitu. 1. progn. 15 & 17.

Ex ore. ex spiratione ex ulcere Tex. 17. 22 & 24.

Tex. 18.

Ex gesticulatione manuum. ibid.

Ex spiratione Tex. 24.

Ex capitis dolore 3. progn. Tex. 11.

Ex partiũ internarum ardore & externarũ frigiditate 4. aph. 48.

Ex colli peruersione aph. 35.

Ex tumore hypocondrij 1. progn. 29

Ex somno 2. aph. 1. & 4. aph. 67.

ſtres partes inficiant,uel furẽtes ad eaſdẽ impulſi,morboſos affectus longe,lateq; diffundant.Cęterum, neq; is ſeruari poteſt, qui dentibus ſtridet; niſi id ſuæ conſuetudinis ſit:ſignificat enim ſummum eſſe cerebri ardorem, cuius cõſenſu maxillarũ muſculi torrentur, conuelluntur q;. Quod ſi,qui id efficit,mentẽ iam amiſit,cum,& extrema morbi uis, & ultima infirmitas coitionem faciant, in propinquo mors eſt. Eadem quoq; ratione arteriarum motus qui etiã, quod diu tractentur,imbecillimi,creberrimiq; ſentiuntur,non procul a ſupremo die ęgrum abeſſe denunciant. At minimi, qui perpetuant,uel prorſus deficiunt, ſeſeq; non colligunt, adflictæ, proſtratęq; uitalis facultatis ſunt indicia. Tardisſimi autem una & languidi, rari quoq; ſi in maligna febri uiſantur, cum refrigeſcente natiuo calore eueniant, diſſolutionem adęque naturę deſignant. Hos ſequuntur interrupti; qui cum motus ſint ceſſationes, mortis imaginem referunt. Ex iſtis tamen deteriores illi ſunt, qui in vno pulſu, ex quibus etiam eſt Caprizans uulgo nuncupatus, quam in pluribus intermittentes: in his enim natura ſimplices ſaltem motus efformat, in illis autem, ne eos quidem; ſed ſtatim opprimitur. atq; tales in iuuenibus, ut quorum uitalis facultas eſt præpotens, rata interitus indicia exiſtunt. ubi tamen plurium ictuum eſt intercapedo, nec ullus cuiuſuis ætatis euadit. At,is cui in morbi principio,uti ſanguis niger per aluum profluxit,aut atra bilis ſupra, uel infra ſe oſtendit, in nulla ſpe ſalutis habetur: hos enim humores tunc temporis natura extra corpus,non ex propoſito pręcipitat;ſed quia ad id, uel a ualde hoſtili qualitate impellitur,uel quia præ nimia infirmitate nequit detinere. Vter uero illorum ſi deiectione effundatur, corpore iam ex quouis morbo attenuato, ſummo mali impetu,ſummaque imbecillitate congredientibus, proximus eſt uitæ occaſus. Aluus quoque uiridis, uel nigra, uel pinguis, uel liuida, quibus inſuper ualde grauis odor adiũgitur, effrenatę morbi uiolentiæ eſt teſtis; ſed hæc proximum exitium affert. Pauliſper autem differt uaria,quæ ſtrigmentum, ſanguinem, bilem uiridem, atramq; modo diuerſis temporibus,modo ſimul, & in mixtura quadam, diſcreta tamen, emittit:in hac enim diuerſorum humorum confuſione mitiores aſperiorum malignam qualitatem obtundunt. At uomitus peſtiferus eſt,qui uarius eſt, & multorum colorum, plures itidem ſuccos, quaſi multos hoſtes oſtendens. In præcipiti uero iam eſſe denunciat liuidus, ſi grauiter oleat: indicat enim & peſſimam humorum affectionem, & innati caloris interitum. Vbi pariter urina fuerit nigra, craſſa, maliq; odoris, flamma febrilis ex inſigni putredine orta totos humores fere conſumpſit.

Ex ſtridore dentium. 1. progn. 21.

Ex pulſu.

Ex deiectionib. 4. aph. 22. & 23.

2. Prog. 21 & 27.

Ex uomitione ibidem Tex. 4.

Ex urina Tex. 32.

hęc tamen in uiris, & mulieribus ceu dissimillima, ut quibus a natura tenuis existit, deterrima est. in pueris uero, si acuta febri laborauerint, tenuis, & diluta: hæc enim, cum ea quæ secundum naturam est crassior existat, in magna cruditate esse consueuit. pessima quinetiam est, in qua laminis, aut furfuribus similia susident. mortifera autem pręcipue, quæ similæ speciem gerunt: eueniunt si quidem hæc ardentissimo calore e solidis partibus, primum quidem laminis, folijsue similes portiones, deinceps quales crassiuscu las furfures, posthæc ad crassioris farinæ formam corradente. Minus malum est, quamuis & id lęthale, si duras carnes depauerit: tum enim dissecantur frustula quædam erui similitudine, quæ ima sede consistunt. cum peste quoque proficiscitur sudor (etsi calidus) qui in acutis febribus circa caput tantum, & ceruices oritur: hic enim fluit, uitalibus spiritibus ad interitum ruentibus: æque uero exitiale signum est, frigidus in eodem morbo, quamuis toto corpore erumpat: monstrat enim innatum calorem, simulq; & febrilē interire. censetur vero omnium deterrimus, ut prostrata iam natura, exoriens, qui & frigidus, & circa caput tantum, uultum, ceruicemq; apparet. Ex horum etiam numero est atri sanguinis stilla, præcipueq; in ardente febri, tamquam ex succis summe tostis, in atramque bilem uersis, naturæque summa infirmitate proueniens. Abscessus item, exanthemataq; subsidentia, cum ex sedibus, quæ extra sunt, ad internas nobilissimas retrocedant, interitus periculum afferunt, sed hæc omnibus malis, aut plerisque communia sunt.

Ibidem. Tex. 28.

Ex sudore 1. prog. 26.

Propria indicia perniciosa. Cap. XI.



NGINÆ vero proprium, peculiareq; est, si nec in ceruice, nec in faucibus conspicuum aliquid ederit, multumq; doloris effecerit; sique spiritus nisi erecta ceruice trahatur, in breui necē afferre: ex his enim ea gutturis inflammationis granditas indicatur, quę paullulum ingrauescens, animam est interclusura. In pulmonis quoque morbo, laterisque dolore nigra screatio, quæ dolorem nō mitigat, vniuersam salutis eripit expectationem: assatos enim esse penitus noxios succos ab aduentitio calore demōstrat. sputum pariter biliosum, & purulentum, ubi memorati affectus suppurauerint, siue separatim ista, siue mixta proueniant, mortis est nota: notat enim mali humoris crudissimam, ueneficamque portionem superesse.

De Angina 3. Progn. Tex. 16.

De Pulmonia & pleuritide 3. prog. 16.

peresse. Mors quoq; sequitur, si ne rupta quidem uomica, aut pure effuso febris desierit, aut quamuis quieuerit, redit tamen: itemq; si ęgri sitiãt; si cibũ auersantur; si aluus immoderatius fluit; si pus, est liuidum, aut uiride; aut nil e pectore, nisi pituita spumans educitur: hæc enim omnia, ut iam est ostensum, uel uehementissimam ęgritudinem, uel cadentem naturam designant. In tabe itidem ubi capilli defluunt, ubi sputũ grauem olet odorem, maximeq; ubi posthæc orta alui deiectio est, aut ex toto spuere desijt, mors est ꝓpinqua: ex his enim maxima uirium imbecillitas significatur. At tenuuioris intestini morbo si uomitus, delirium, uel neruorum distentio accesserint, si lateris dolori pulmonis inflammatio, huic autem si phrenitis, iecoris vero inflammationi singultus; magnos hos affectus adeo auctos esse significatur, ut inde certum periculum notetur. illi quoque ea de caussa intereunt, quibus e iecore, dum vrantur, aut secantur, quasi amurca effluxerit. Exitialia similiter sunt tormina ab atra bile, tamquam a pestifero succo, exorta. in eodem quoque morbo si febris interuenit; si inflammatio iecinoris, aut præcordiorum, aut uentris, si immoderata sitis, si uarij humores excernuntur; si summi dolores, cruciatusque accidũt, ob uitij uehementiam salus est desperanda. puerique maxime usque ad annum decimum intereunt; reliquę vero ętates facilius id malum sustinent. Diffidimus æque in leuitate intestinorum, si æger continuo, diuque affligatur; si uenter omnibus horis nocte, & die profluit; si deiectio ualde cruda est, aut nigra, adhæcque leuis, & grauis odoris, si molesta est sitis, neque a potione urina fit; si os exulceratur; si facies rubet, & maculis diuersorum colorum notatur; si uenter est mollitus, sordidus, ac rugosus; si neque ægri appetant, neque sua munia exequi possint. eo autem longius a spe absumus, quo illi seniores existunt. Insanabilis vero est aqua inter cutem, quam diuersa ab his, quæ in bona spe eam esse supra monstrare diximus, indicia subsequuntur. Tussis quoque si adiungitur, spem tollit: tum enim id uitium radices agit, propagaturque. hi pariter, quibus liẽ per multos dies ęger est, in perditis habentur, si diu torminibus pręhendantur. ex his enim factis infirmis intestinis, aut iecinore debilitato, leuitas intestinorum, aquave inter cutem oriens mortem affert. A profluuio autem sanguinis, si æger delirat, neruisque distenditur, certa est desperatio: altius enim ingeneratus humor est exhaustus, viresque infirmatæ, quam vt resarciri, restituique posint. Qui quoque per omnia membra vehementer sunt resoluti, sic vt stertant, intra septẽ dies pereunt; nisi febris subsequens noxios humores discutiat: hinc enim ea morbi granditas notatur, quæ spiritus magnam angustiam

De tabe.

De volulo 7. aph. 10.

De lateris dolore pulmonia & iecoris inflammatione ibi. 11. 12. 17. & 45.

De Dysenteria. 4. aph. 24. & 2. præd.

De leuitate intestinorũ. 2. præd.

De hydrope ibidem.

De lienosis 6. aph. 43.

De sanguinis profluuio. 7. aph. 9.

De apoplexia. 6. aph. 51.

efficiens, celeriter hominem rapit. Vbi etiam in vesicæ regione tumor est, ingẽsq; dolor; si continuata febris accedit, aluusq; dura, eaq; nisi coacta reddit; is morbus mortiferus existit: summa enim est illius vis; tum quia longe, lateq; porrigitur; tum quod ea est affectæ partis natura, vt facile grauem eam affectionem insignibus membris impertiat. Dolores etiam, qui vna cum febri circa lumbos, inferasq; sedes affligentes subito desinũt, ad præcordiaq; ascendunt, si terribilium signorum comites erunt interitus periculum afferent: deportantur enim noxij succi ab obscuris partibus ad præcipuas, qui eas pessundant. Auris quoque dolor acutus, cum febri continua, ac vehementi, pestiferus habetur: delirij enim, & mortis minas iactat, vehementissimus siquidem ab ortu hic morbus existit, vtpote feruens, non obscuræq; regionis, quippe nerui cerebro proximi vexator; quæ ad fortissimi vitij summam euadunt. Sed quia lubricum est id præsagium, attendenda pariter erunt alia indicia. hoc autem malum iuuenem septimo die, citiusq; occidit; senem vero tardius: hic enim, cum minus febribus, delirioq; tentetur, vt qui frigidos succos habet, contra illius iniuriam diutius obdurat. Verum exitiosorum signorum concursum, quæ in pestilentia quadam morituris oriebantur, pulchre Lucretius hoc carmine cecinit:

De uesicæ inflammatione. 2. progn. 71.

De doloribus qui circa lumbos infestant. tex. 70.

De dolore Aurium. 2. prog. 13.

Multaque præterea mortis tum signa dabantur
Perturbati animi; mens in mœrore, metuque:
Triste supercilium; furiosus vultus, & acer;
Sollicitę porro, plenæque sonoribus aures;
Creber spiritus, aut ingens, raroque coortus;
Sudorisque madens per collum splendidus humor;
Tenuia sputa, minuta, croci contacta colore;
Salsaque per fauces rauca uix edita tussi;
In manibus uero nerui trahere, & tremere artus,
A pedibusque minutatim succedere frigus
Non dubitabat. item ad supremum denique tempus
Compressæ nares; nasi primoris acumen
Tenue, cauati oculi, caua tempora; frigida pellis,
Duraque, in ore iacens, rictum frons tenta meabat,
Nec nimio rigida prostrati morte iacebant.

Sunt

Sunt igitur hæc cuiusuis signorum generis exempla, a quibus uir prudens, & solers excitatus, innumera uel obseruatione notabit, aut uirorum illustrium animaduersione notata, facile colliget, sub unoque subijciet aspectu.

Signorum Vsus. Cap. XII.



VIVSMODI igitur singulaq; in ęgris erunt accurate animaduertenda; neque quidquam, etsi minimum, tenueq; uideatur, dissimulandum: ex horum enim accurata animaduersione, non solum quinam e morbo euadent, quiq; extinguentur; uerumetiam stata salutis, mortisq; spacia prope diuinabuntur. ubi igitur ægrum in serijs saltem grauibusq; rebus sui similem prima die reperierimus, nihilq; adesse, quod nobis terrorem injciat (cum hinc significatio fiat & infirmissimi affectus, & firmissimæ naturæ) non modo conualiturum, sed insuper breui tempore, primo scilicet quaternione, dubio procul expectabimus. Contra uero mortiferis dissimillimisque notis ex omni parte elucescentibus, quid aliud quæso ex his, tamquam grauissimum morbum, ultimamque infirmitatem indicantibus, quam exitium idq; primo pariter quaternario coniectabimus? At utrum quarto die, qui ex primo naturæ instituto decretorius existit, uel tertio anticipante, aut quinto excipiente, hi fines sint uenturi; accesfionum forma, pugnantiumque acris, lenisue contentio, ut proximo libro ostendimus, aperte ferent: siquidem, si morbi sine ulla commotione, continuato, similiq; cursu transigentur; natura tunc proprijs periodis eos uoluens, quatriduo conficiet: quod si tertio quoq; die agitati accesfionem fecerint, optimis indicijs ad bona aut perniciosis potius ad mala accedentibus (quæ morbi, aut naturæ occasum subesse denũciant) tertio die extrema persequentur; quinto autem his in eodem statu subsistentibus. sic ergo summa, asperrimaq; uitia desinent; at molliora non tam angustis, sed latioribus finibus continebuntur. nã, ubi prima dies non saluberrima quidẽ, aut pestifera signa, sed simpliciter bona aut mala attulerit (cũ non æque

magnam

magnam hi certatores eo tempore vim habeant) diutius se sustinebunt, pugnæque exitum vsque ad secundum quaternionem producent. vltra autem non esse progressuros, inde assequemur; si optima iam memorata indicia, aut contra maleficentissima quarta die, quæ est septimi index, euenerint: ea enim vel morbi solutionem, vel naturæ dissolutionem prope accedere declarant. Verũ septima ne, an sexta supremi sint futuri ad modo expressam regulã pariter iudicabitur: vbi enim morbi imparibus diebus, grauiores fieri consueuerint, septimo, paribus vero sexto, maximeque tertio die, & quarto mortiferis signis auctis, multiplicatisque conficientur. Quod si ab initio, nec bonæ, nec malæ spei notæ comparuerint, sed ancipites, neutræque vocatæ; sub his non erit facile præsentire, an morbi ipsi finiantur, vel potius interimant; quin incertius adhuc erit spacium, quo hi exitus eueniant: similia siquidem, cum sint eorum initia, obscurum etiamnum est, in quã partem se voluant, & celeri ne, an tardo cursu moueantur. animum itaque attendere opportebit singulis additis quaternionibus quonam se conuertent; neque enim id mente compræhendere difficile erit: namsi quarta die, quæ diximus, vestigia vincentis naturæ, aut morbi expressa fuerint; vndecima ægrum conualiturum, aut moriturum non temere expectabimus; idque futurum magis confidemus, cum septima, quæ vndecimam indicat, ea signa aucta, exaggerataque fuerint. Tamdiu ergo differenda erit prædictio, quamdiu futuræ incolumitatis, exitijque significationes tectæ, obscuræque manebunt; quas, cum in acutis, quaterniones, in medijs septeni, in diutinis autem viceni producant, in singulis eius generis morbis illi dies accurate obseruabuntur, plurimique fient. At si & fausta, & horribilia signa simul emerserint, inuoluta magis res erit, maioremque afferet dubitationem. iterum ergo ratione, & animo lustrandum, numquid hæc indicia numero, vique paria, vel imparia potius existant: vbi enim ęqualem vim, simileque pondus habere comperta fuerint; tunc, cum ex eo æqualis pugna, ancepsq; fortuna designetur, haud temere, inconsiderateque prædictio est effutienda, sed vsque reseruanda, quoad vnius generis signa accrescant, alteroque superiora euadant: eo enim tempore in quam partem victoria inclinet, apertum, perspicuumque fiet. Verum, si pugnæ huius spacium præsentire in animo erit, altius rem intueamur diligentiusque meditemur oportet, quantum vnius speciei notæ excedant, emineantque; ex certaque exsuperantia id erit colligendum: tantum enim salus, aut mors in longius ducetur, quantum aut mala magni morbi, vel in-

firmæ naturæ ſigna malorum diſſipationi, aut bona mitiorem affe-ctum, robuſtioremùe naturam deſcribentia, naturæ exitio quaſi obſiſtere fuerint inuenta. Ad hæc igitur inſtituta, communeſq; regulas ſalutarium terribiliumque ſignorum vſum, quem frequentem huius rei magnitudo deſiderat, ſubibimus: certas enim, præfinitaſque prorſus præſagiendi rationes aſſidua exercitatio, multaque in artis operibus meditatio ſuppeditabit.

Notæ ad horam mortis præuidendam. Cap. XIII.

AD horam autem mortis præſentiendam, quæ res in maxima gratia eſt, & gloria; cum veriſimile ſit eo tempore hominem e vita migraturum, quo a morbo maxime opprimitur; erit animaduertendum; in qua potiſſimum acceſſionis parte grauis, infenſuſq; exiſtat: nam, ſi ea inuadente, æger adeo refrigeſcat, vt vix ad calorem poſſit reuocari, diuque ſine calore perſiſtat; arteriarum autem percuſſio exilis, aut nulla, vel mala tactu percipiatur; pigerque ſegnis aut ſomniculoſus appareat; ea maximè hora moriturũ ſuſpicionem habebimus. quod, ſi id quidem acceſſionis, ſpacium temperatum, miteque euenerit, ſtatus autem tempore grauis ſomnus, aut inquietatio hominem præhendat, inſigniſque ardor torreat; ſique caput, aut cor illi doleat; id extremum vitæ tempus futurum eſſe in opinione erimus. verum, ſi horum nulla compareãt, ſed commotione declinante, animi defectio, ſudoreſque frigidi, vel e pectore ſolum, et ceruicibus, aut e capite prorumpentes, pulſuſque exigui, & imbecilles appareant; tum è vita diſceſſurum non leui ſuſpicione attingemus.

De iudiciarijs ſignis. Cap. XIIII.



SALVTARIBVS, mortiferiſque ſignis hactenus expoſitis, iam, quemadmodum in decretoriis notis verſemur, paucis differendum. igitur hæ cum (vt ſuperius volumen oſtendit) ex morborum, qui ex humoribus fiunt, magnitudine, forma, natura forti, vti efficiente, præterea ex illius propenſione, & apparatu dimanent (etſi hæc poſtrema veluti propria, &

quaſi

quasi germana sola decretoriorum nomen obtinuerint) ad hæc ini tia, vaticinationes quas de his Hippocrates edidit, referentes, nõ modo huius artis vsum, verum & scientiam (vt maxime res feret) aucupari conabimur.

Futuri uomitus indicia. Cap. XV.

Ex Hippocrate 3. prog. 30.

IN salutari ergo febri si caput in dolore erit; sique deinceps tenebricosum aliquod oculis obuersabitur; & stomachus, quasi morsus dolore, afficietur, biliosus vomitus eueniet: sunt enim hæc vergentis bilis ad eam regionem indicia. caput siquidem dolet, vaporibus a bile illuc inclinata excitatis, eius naturæ continuationem tensione, caloreque interrumpentibus: oculis obscura simulachra representantur, ijsdem cristallinum humorem inficientibus: cor autem tristi sensu afficitur, eodem humore idipsum excruciante; hæc tamen in terrifico morbo, vel nullum, si natura languet, vel prauum, si viget, iudicium præsignant. Idem quoque vertigines internascentes, inferiusque labrum tremens ostendunt: voluuntur enim cerebri spiritus ab eadem exhalatione, commoti, agitatique: labrum vero contremit; tunica, quæ ipsi, & ventriculo communis existit, (vt nocentem bilem eijciat) tremulo quodam motu quassata. Tenuis item, multæque saliuæ effluxus vt ab ijsdem humoribus, ob eandem tunicæ continuationem in os ascendentibus proueniens, idipsum pręmõstrat. Pulsus quoque altus, & vehemens, vt in vniuersum assurgentis naturæ index, si præterea durus existat (quod euenit ore ventriculi naturæ consensu arterijs ipsis iniuriam faciente) huic præsensioni testimonium tribuet. Cæterum ocyus huiusmodi excretio eueniet, si æger rigore præhendi incipiat, imæque iam hypocondrij partes algeant: ex his enim non sola naturæ inclinatio, sed conatus, incæptioque monstratur: fit siquidem rigor bile multum impulsa, agitataque; frigiditas autem tota fere natura ad superas regiones commota. Quam celerrime vero voment ægri, si per id tempus aliquid esitauerint, aut biberint: ingestus enim cibus, vel potus vna cum bile corruptus, acrius ventriculum ad id munus exequẽdum impellit. interuenit autem id potissimum ætate progressis, cum tertianis febribus laborauerint; bilioso siquidem humore hi maxime cumulantur: iunioribus autem rarius; nisi eodem morbo

sed

ſed ſincero, alijsue acutiſſimis malis teneantur: ſanguine enim iſti magis, quam bile abundant.

Venturi profluuij ſanguinis e naribus argumenta. Cap. XVI.



ANGVINIS e naribus profuſio illuſtris, famoſaque criſis adueniet, vbi eius generis febri dolor ingens frontem, & tempora affliget; pro tenebricis ſpectris caligo, ſplendidæue immagines ante oculos verſabuntur; pro morſu vero ventriculi in hypocondrio dextra, aut ſiniſtta pars ſine dolore, aut inflammatione extenſa fuerit: ex his enim huius humoris multitudinem ſurſum ad caput vergere ſignificatur. id autem iuuenibus vt qui ſanguinis magnam habent copiam maxime eueniet: necnon iis, qui in ſimili febri, præcipueque ardente contra voluntatem lachrimæ effluunt. Dolor pariter colli, temporumque grauitas, quæ cum memoratis notis, aut cum rubore oculorum, maxillarum, nariũque apparent, idipſum ea ratione prænunciant. Pulſus quinetiã alti, & magni in diſtentioneqne celeritatem adhibentes; tamquã naturæ ad corporis ambitum nocua eijcientis, indices inter hæc ſigna connumerantur. 3 prog. 33.

Futuræ criſis per ſudorem indicia. Cap. XVII.



VOD ſi pulſus alti, & magni, in diſtentioneque celeres vndoſi inſuper videantur, arteria mollis, ac veluti humecta ſentiatur, prurigo, & mollities, interdumque rubor in toto corpore naſcatur; morbus ſudore exhaurietur. In febri item ardente, illius iudicio appropinquante, vbi nulla ratione aluus, vrinaque ſupprimitur; æger rigore corripietur, qui nullis harum excretionum neque vomitus, aut profluuij ſanguinis notis ſubſtantibus, futurum ſudorem indicabit. nihil autem res habebit dubitationis; ſi, cum acceſſio conſtiterit, ægri mente moti fuerint, extraq; caliliores facti, uapor quidam, qualis recenter lotis conſueuit, e corpore eruperit. Inter hæc quoque ſunt ſomnia ad balnearias res, vt ſudori ſimiles, attinentia: anima enim in quiete ſenſibus, curiſque vacua, pulſu imaginum, quas corporei affectus etiamnum

Ex Galeno 3. de Chriſib. cap. 11.

pullulantes exsuscitant, eiusdem speciei uisa intueri sibi uidetur.

Iudiciorum ad inferas partes significationes. Cap. XVIII.

Ex Galeno 3. de crisib. cap. 11.



ÆTERVM, cum nullę sint naturę deorsum noxios succos eijcientis certæ notæ, probabiles aliquæ coniecturæ & rationes erunt eliciendæ. vbi igitur futurum quidem in vniuersum iudicium cogitatione præceperimus: nulla autem vomitus, aut fluxus sanguinis e naribus, vel sudoris notæ comparuerint, ad inferas partes erit expectandum. verum, cuiusmodi sit venturum, non alijs regulis, quam mox dicendis, interstinguetur: menstrua enim effluent illis mulieribus, quibus grauitas lumborum insignis, imique ventris, & dolor, & tensio diuexant, hemoroides ijs fere solis, quibus ea excretio suæ consuetudinis est; at deiectiones, si nullum horum interuenerit; sique illæ iam accrescere, nec minimeque vrinæ diminui inceperint. hæc enim naturam ad eam regionē vergere significationem faciunt.

Euenturi abscessus insignia. Cap. XIX.

Ex Hippocrate. 3. prog. 23.



ERVM si febris, quæ continuat, vltra vigesimum diem non ex dolore, aut inflammatione, manifestaue caussa protendetur; sique vrinæ perpetuo tenues, & crudæ fient, abscessum efficiet: tum enim magna est, longaque fit ob humores crudos; & crassos; qui abscessibus (vt diximus) caussam prębent. In primis autem ocyusque nondum trigesimum annum agentibus accidet; minus autem senioribus: illi enim viribus pollent, quas ad id genus humorum eijciendum necessarias esse supra explicuimus. Cæterum ad superas sedes, ad aures scilicet, venturus expectabitur; vbi obortam repente difficilem spirationem dolor, grauitasque capitis, profundus somnus, surditasue consequentur: ad infernos vero articulos, si & morbus diuturnior exstiterit, circaque partes illas, vel grauitas, vel tensio, vel calor, vel dolor (humorum ad eas tendentium argumentum) eluxerint.

CELSI

CELSI MARTINENGI DE PRAEVIDENDIS MORBORVM EVENTIBVS,

LIBER TERTIVS.



Præfatio.

VNIVERSALIBVS vijs, communibusque præceptionibus, quę ad vniuersam præsagiendi rationem attinent, iam expositis; nobis nunc munus susceptum explentibus istorum omnium vsus est subeundus, in singularibusque ipsis periculum faciendum. Quamuis enim instituta hæc certas vias dent, rationesque præsagiendi; nemo tamen vel magno præditus ingenio, innumerabilibusq; pręceptis eruditus, sine frequẽti exercitatione absolutus vnquam artifex euadere, quidquamùe magna laude dignum consequi poterit. præterquam quod & hæc, ceu vniuersalium exempla, illa magis confirmabunt, stabilientq;. Ægrorum igitur historias ab Hippocrate memoriæ proditas assumentes, iterum in illis velut in veritatis luce, Coctionis Cruditatisque indicia Decretoria, & quæ Pathognomonica vocantur, contemplabimur; inter hæcque metu vel periculo vacua, rursus terribilia, mortiferaùe, eaq; tum pura, tũ mixta intuebimur: ex quibus deinceps morbi, naturæq; vires, horumq; quo alter altero sit fortior, elicientes, ingenii aciem ad salutem, vel exitium, earumque fatales terminos diuinandum exacuemus.

Aegrotus vi. tertio Epidemiorum libro post tempestatem descriptus, Cap. I.



ERICLEM Abdere febris corripuit acuta, continua cum dolore; multum sitiebat; fastidiosus erat; potum non poterat continere; erat sublienosus, grauatoque capite. Primo die ex sinistra nare sanguis erupit multus tamen febris increscebat: minxit multum, turbatum, album; reposita vrina non considebat. Secundo die omnia exacerbata sunt: ac vrinæ crassæ quidem erant; verum magis subsidebant: fastidium leuatum est; dormiuit. Tertio febris emollit a fuit: vrinæ multæ, & concoctæ; in quibus multum subsidebat: nocte quieuit. Quarto circa meridiem sudor prorupit toto corpore multus, & calidus: sine febre iudicatus est; neque rediijt.

EXPLANATIO.



ARRATVRVS Hippocrates morbi, naturæque pugnam, iure quales essent ab initio morbi conatus, exponere incipit. quantum autem roboris in natura eo tempore existeret; vt quæ singulare quiddam, rarumq; haud haberet, ea breuitate, quæ in antiquorum cõsuetudine fuit, silentio obuoluit. PERICLEM *febris corripuit continua, acuta.*] Ambigua, multiplexque apud Hippocratem est huius nominis significatio. interdum enim id, quod acris, mordaxque, sonat; vt tertio, sextoq; de morbis vulgaribus liquet. quibus locis febres mordaces, acutas nominat: nonnumquam autem, quod impetu, magnaque celeritate suum cursum conficit; veluti de Ratione victus in acutis morbis vsurpat. ad quamlibet autem harum notionum illud traxerimus, magna morbi vis eo nomine notatur, grauis enim est acris, aculeataque febris, vt quæ calidioris, immoderatæque bilis exhalationem insequatur: terrorem quoque facit violenta, incitatoque motu irruens: cum, & cor nobilissimam sedem magna, continuaque molestia diuexet. hinc Archigenes clarissimus medicus non alia descriptione illius generis vitia signabat, quam quod incitata con-

Secto 3. 72. & 74. 6. eiusdem sectio 1. tex. 28.

1. de Rat. vic. in ac. mor. 8.

uersione momentum haberent, minasq; iactarent. Hippocratesq; pariter eos effectus acutos dicebat, qui nō interrupta febri hominē vexare, e vitaque eripere consueuerunt. Cvm *dolore.*] Non erat sane hic dolor proprium, perpetuoq; inhærens huius mali signum sed assidebat, illius pariter vehementiam ostendens, nimium scilicet ardorem, naturæ continuationem diuellentem. Mvltvm *sitiebat; fastidiosus erat: potum non poterat continere.*] Eius generis ista quoque sunt ex putrida bile ad os ventriculi diffusa enascentia. hæc igitur erat oriens, primaque vis morbi. Erat *sublienosus.*] Non vno morbo, sed duplici Pericles tenebatur: durum enim pariter iamdiu lienem habebat. sed huiusmodi vitium vitę periculosum esse non admodum consueuit. neque enim pars oppressa suo munere insignis existit; neque morbus veluti frigidus nisi raro, in multisque diebus ad præcipua membra dispergitur. Gravatoqve *capite.*] Composite rem enarrat. vt enim multa sitis, nullaque cibi cupiditas, potusque vomitio febris granditatem; sic grauitas capitis lienis vitium consequebatur: decretorium enim illius erat indicium, sanguine ex liene ad caput translato proueniens. Primo *die ex sinistra nare sanguis erupit multus.*] qui ergo lienem offendebant humores sanguinis profusione, eaque e nare sinistra eiiciebantur: dextra enim dextris, sinistraque sinistris cognatione continuata conspirant. Tamen *febris increscebat.*] rudi, indoctoque medico timorem forte fecisset id febris incrementum; vt quod ab ea inanitione veniret; verum gnari; scientisque curam contra potius aliqua ex parte leuasset: hæc enim haud erat nata tollere, minuereue febrem, sed lienis affectionem. febris autem non ideo augescebat, quod grauior euaderet, sed quia ætate procedebat: maiores enim dolores, & accessiones adueniebant, natura coctionis rudimenta ponente. Vnde Minxit *multum, turbatum, album: reposita tamen urina non considebat.*] Id enim locium indicio erat innatum calorem noxios venarum humores agitare, nondum tamen eos obtinere. hæc ergo prima die euenerunt, quæ neque desperationem, neque bonam spem iniiciebant. Secvndo *die omnia exacerbata sunt: ac urinæ crassæ quidem erant; verum magis subsidebant, fastidium leuatum est; dormiuit.*] Hæc dies salutis expectationem commouit: neque enim ea mala maiora fiebant, quod morbus ingrauesceret; sed quia ex vi sua, & natura eo tempore accessionem ciebat. cum enim vrinæ crassæ existerent, hoc est inter tenues, & pleniores interiectæ (huiusmodi siquidem Hippocrates collatione cum tenuibus, quæ crudæ

sunt,

ſunt, craſſas nuncupare conſueuit) in ijsq; contenta magis ſubſiderent; naturam morboſis cauſsis non obſcure dominari demonſtrabant. ex quo non ſolum conficiendum eſſe morbum; uerum etiam breui tempore id futurum anteſentire licebat. primo enim die obſcurę, ſecundo manifeſtæ coctionis ſignis apparentibus, clare affectus ad maturitarem approperabat. maior autem ſpes ſalutis fiebat; cum cibi ſatietas, uigiliæq; deſijſſent: hæc enim morbum itidem miteſcere confirmabant. Ex his ſimiliter non pertenui argumento declarabatur criſim eſſe ſubiturum: magni enim affectus, fortiſq; naturæ, ut quę morbum ſtrenue oppugnaret, ſigna dabantur. Verum excretione, non abſceſſu magnam eam mutationem eſſe futuram, morbi acies, ueluti ex bile enaſcens indicabat. Vnde, cum tertio die urinę naturam ſubitam coctionem moliri ſignificarent, ueloxq; adhęc eſſet morbi motus, acceſsiones quoq; paribus diebus euenirent, in promptu erat quarto die criſim impendere. Eo igitur tempore factum eſt, ut ſudore multo, calidoq; e toto corpore erumpente Pericles ſecundæ ualetudini ſit reſtitutus.

Aegrotus iiij. tertio de morb. uulg. poſt tempeſtatem deſcriptus. Cap. II.



Hreniticvs primo, quo decubuit, die uirulenta uomuit, & multa, & tenuuia: febris horrida: copioſus ſudor, aſſiduus toto corpore: capitis, & colli dolorifica grauitas: urinæ tenues, ſuſpenſiones paruæ, diſperſæ non reſidebant. aluus ſtercus affatim reddidit: multum delirauit: nihil dormiuit. Poſtridie mane uocem amiſit: febris acuta: ſudauit; non intermiſit. palpitationes per totum corpus: nocte conuulſiones. Tertio die cuncta exacerbata ſunt. quarto defunctus eſt.

EXPLANATIO.



ON ſine ratione Phreniticus hic quarto pariter die occubuit; cum primo in plurimis, ſerijsq; rebus ſui diſsimillimus euaderet. unde & maxima morbi uiolentia, & minimũ naturę robur deſignabatur. [PHRENITICVS.] grauiſsimum uitium eſt phrenitis, tum quia cerebrum ob magnam eius cum corde ſympathiam nobiliſsimum,

mum, in morbo eſt; tum quod feruens, putridaq; cenſetur affectio quæ ſeipſam facile, celerrimeq; ad cor principium uitę diffundit. Primo, *quo decubuit, die uirulenta uomuit, & multa, & tenuuia: febris horrida: copioſus ſudor, aſſiduus toto corpore.*] decretoriæ notæ id genus erant; quæ cum de Phrenitide non decernerent, uel laborioſi iudicij, uel mortis ſignificationem faciebant. cęterum, cum uiridis ea uomitatio exiſteret, mali ſcilicet morbi index, metum mortis potius afferebant: ab his enim humorum feritas notabatur, quæ naturę ad eos intempeſtiue effundendos uim faciebat. Capitis, *& colli dolorifica grauitas.*] exitioſum quoq; id erat indicium: latius enim hunc morbum, ut ad neruoſas etiam capitis, colliq; partes diſperſum, manare monſtrabat. Vrinæ *tenues, ſuſpenſiones paruæ, diſperſæ non reſidebant.*] in acuto morbo tales item urinæ terrere ſolent, ut quę altricem uim maxime per febrem eſſe debilitatam oſtendant. Alvvs *ſtercus affatim reddidit.*] uegetatricem hoc, & eam animæ partem, quæ uoluntarijs motibus præeſt, ad quas alui excrementa detinere ſpectat, ad ſummam infirmitatem deueniſſe deſignabat. Deliravit*: nihil dormiuit.*] iſta uero ueluti phrenitidis propria ſigna, aucta, magnaq; facta, eum etiam affectum, quem conſequebantur grauiorem euaſiſſe notabant. Ex his ergo tot peſſimis ſignis planum fiebat ęgrum primo quaternione e uita eſſe exceſſurum. Postridie *mane uocem amiſit: febris acuta: ſudauit, non intermiſit. palpitationes per totum corpus: nocte conuulſiones.*] Necem afferre maturabat hic affectus: ſic enim ea ſigna dilatabantur, ut, & ſummam illius uim, & extremam naturæ infirmitatem declararēt: obmutuit ſiquidem ea animæ parte, quæ ſenſum, & motum habet; ſudor uero continuo effluxit retinente ui ex toto effracta: at conuulſiones peruſtis in phrenitidis ardore neruis euenerunt. Tertio *die cuncta exacerbata ſunt. Quarto defunctus eſt.*] Quarto, iudiciario die ſuperata plane natura perijt.

Aegrotus viij. tertio de morb. vulg. ante tempeſtatem deſcriptus. Cap. III.



Dolescentvlvm, *qui in Mendacium foro decumbebat, corripuit ignis ex laßitudinibus, laboribus, & curſibus inſolitis. primo die turbata aluus erat bilioſis multis, tenuibusq; vrinæ tenues, ſubnigræ: non dormiuit: ſitibundus. Altero die omnia exacerbata ſunt: deiectiones plures intempeſtiuiores: non dormiuit; mente turbatus;*

tus; aliquantum exsudauit. Tertio grauiter se habuit, sitibundus, fastidiosus, multum se iactauit: perplexus erat: delirauit. extremæ partes liuidæ, & frigidæ: hypocondrij vtrinque submollis contentio. Quarto non dormiuit: malum in peius procedebat. Septimo obijt: annum ætatis circiter vigesimum agebat.

EXPLANATIO.



DOLESCENS hic ad septimum usq; uitam protendit, cum & a principio morbus mollior esset, & uis ętatis ratione robustior. CORRIPVIT *ignis.*] Ignē Hippocrates uehementē, immoderatamq; febrem appellat. PRIMO *die turbata aluus erat biliosis multis, tenuibusque. vrinæ tenues, subnigræ: non dormiuit. sitibundus.*] Magnus quidem hic morbus initio erat; non is tamen, ut uniuersam uitæ spem eriperet: hæ siquidem notæ, quæ primo die exstiterunt, terrorem sane inferebant; uerum tamen a naturali statu non summe recedentes, definitam perniciem non designabant. ALTERO *die omnia exacerbata sunt: deiectiones plures intempestiuiores. non dormiuit: mente turbatus.*] Ingrauescebat affectus: siquidem & relati primi diei casus maiores secundo die fuerunt, & nuper delirium ignea caliditate inualescente eluxit. ALIQVANTVM *sudauit.*] Id quoque mali morbi erat index; quod ne vlla siquidem eorum, quæ e corpore effunduntur, modice excerni conueniat, vt Galenus etiam prodidit. ab his tamen, vt quæ nec summum affectum, nec vltimam imbecillitatem indicarent, certa mors non significabatur. TERTIO *grauiter se habuit. sitibundus, fastidiosus: multum se iactauit: perplexus erat: delirauit.*] Illius quoq; ordinis hæc erant. EXTREMÆ *partes liuidæ, frigidæ.*] At liuor hic, frigiditasq; in iuuenili potissimum ætate, quæ calore abundat, & vastam internarum sedium inflammationem, & insiti caloris extinctionem ostendentes mortem subesse nunciabant. HYPOCONDRII *vtrinq; sub mollis contentio.*] Hoc septi transuersi inflammati perspicuum erat argumentum. QVARTO *non dormiuit: malum in peius procedebat: septimo obijt.*] Fortis erat natura; vnde potuit vsque ad septimam diem tantis vitijs obsistere. ANNVM *ætatis circiter vigesimum agebat.*] Ætatem apposuit, vt per eam, quales esset virium status, nobis indicaret.

Aegrotus

Aegrotus viij. tertio Epidimiorum descriptus post tempestatem. Cap. IIII.



BDERÆ *Anaxion, qui ad Thracias portas decumbebat, in febrem acutam incidit. dextri lateris assiduus eum dolor cruciabat: tussim habebat aridam; neque primis diebus expuit: sitibundus erat, & insomnis: vrinæ boni coloris multæ, & tenues. Sexto die delirabat; fotibus nihil remittebatur; septimo magis laborabat; quippe febris intendebatur, nec imminuebantur dolores; simulque tusses infestabant: difficulter etiam spirabat. Octauo cubitum secui; multum, vt debebat, effluebat: leniores ibi euaserunt dolores; sed tusses aridæ permanebant. Vndecimo febres fuerunt mitiores: aliquantum circa caput sudauit; etiamnum tusses durabant; & quæ a pulmone exibant, liquidiora erant. Decimo, & septimo cœpit pauca concocta expuere. Vigesimo sudauit: febri liberatus est: a iudicio rectius habuit. Siticulosus erat; & a pulmone non bonæ purgationes. Vigesimo septimo rediit febris: tussiyt; multa excreauit concocta: in vrina multa subsidebant alba: desiit sitire; bene spirans. Trigesimo quarto toto sudauit corpore: cessauit febris: in totum est iudicatus.*

EXPLANATIO.



RIT hæc historia earum ægritudinum schema, quę multos dies trahunt. cum enim anceps morbi, naturæq; pugna vsque ad decimum septimum duraret, iure morbus hic in longius est ductus; neque quidquam eo tempore de futura salute, aut morte pro certo haberi potuit. ANAXION *in febrem acutam incidit: dextri lateris assiduus eum dolor cruciabat: tussim habebat aridam; neque primis diebus expuit.*] Sunt hæc propria, peculiariaq;, vt liquet, pleuritidis indicia: in nullo enim ex omnibus morbis istorum accidentium concursus adest, præterquam in lateris dolore. hunc autem affectum solertissimus Hippocrates non nomine (vt in alijs consueuit) sed notis descripsit; vt vna, & morbi formam, & illius raram, ingeneratam tamen, vim designaret: non erat enim hæc pleuritis ex ijs, quæ passim videri solent; sed peregrinam, insuetamq; faciem præseferebat. illius ergo signa peculiari descriptione finiuit; vt simul nos, & ad morbi speciem, & ad eius insolitam vim, naturamq; adduceret. Sed eius verba sigillatim expendamus.

mus. ANAXION *in febrem acutam incidit.*] Hoc eſt, acrem, mordacemq; : febris quidem omni pleuritidi perpetuo inhæret; vt quæ feruida ſit affectio, ſedemq; cordi vicinam infeſtet: hæc tamen, cum fere pleuritis ex ſanguine fiat, mitis eſſe conſueuit. nunc autem quaſi aculeis manum pungebat, vtpote, quæ non ex puro ſanguine, ſed cui multa bilis eſſet admixta, originem duceret. DEXTRI *lateris aſsiduus eum dolor cruciabat.*] Dolor item, qui niſi dum ſpiritus trahitur, vexare ſolet, modo aſsiduam triſtitiam inijciebat. TVSSIM *habebat aridam; neq; primis diebus expuit.*] Tuſsis etiam præter conſuetudinem nil e pectore educebat. grauis ergo erat Anaxionis morbus, tum, quia non obſcuram ſedem cordi vicinam infeſtabat, tum, quod ardens erat, inflammataq; affectio ſeipſam ad cor cito diſpergens; grauior adhuc, quia grandior primo ortu erat procreata. SITIBVNDVS *erat & inſomnis.*] Non ex ijs ſunt hi caſus, qui pleuritidem ex neceſsitate conſequuntur, ſed circumſtantium, interuenientium tamen vim ſubeuntium, euenerunt ſiquidem ea magnis initijs orſa: ex bilioſo enim ſanguine prognata cerebro, ventriculoq; acres fuligines ſubminiſtrans, vigilias, ſitimq; concitabat. VRINÆ *boni coloris, multæ, & tenues.*] Præter memoratum vitium tenebatur quoque Anaxion (quantum coniectura aſſequi poſſumus) febri, ex putreſcentibus in venis humoribus oriunda. vrinæ ergo, quæ venarum, arteriarumq; ſunt recrementa, ſolo colore ijs, quæ a natura ſunt aſsimilatæ, eos obſcure matureſcere denunciabant: at copia excedentes, cum tamquam decretoriæ cauſſæ morboſam eam affectionem non ſedarent, diuturnam fore indicio erant. SEXTO *die delirabat.*] Fuligines illæ, quæ prioribus diebus vigilias conciebant, nunc auctæ cerebrum veluti mordicantes, mentem turbarūt. id ergo magnæ quidem pleuritidis, non tamen lethalis erat argumentum. Familiare enim eſt lateris, pulmoniſq; inflammationibus, vt Galenus aſſeuerabat, caput, quod excipiat putrium humorū fauillas, offendi. FOTIBVS *nihil remittebatur.*] hoc quoque relatum eſt ab Hippocrate, vt eius vehementiam indicaret, vigentis ſiquidem pleuritidis (vt Galenus etiam ſcripſit) notæ ſunt, perpetuus dolor, calidiſq; fotibus nihilum cedens. SEPTIMO *magis laborabat; quippe febris intendebatur; nec imminuebantur dolores; ſimulque tuſſes infeſtabant: difficulter etiam ſpirabat.*] Creſcebat malum; febris enim augebatur; reliqua vero accidentia in eodem ſtatu perſtabant. id tamen incrementum non matureſcentium, aut torreſcentium ſuccorum erat affectus, ſed morbi adhuc quaſi formam aſſumentis, confluentis ſcilicet etiamnum ad ſedem affe-

4. de. cauſ. pul. cap. 8.

1. de rat. uic in hac morb. com. 33.

ctam

ctam sanguinis. O C T A V O *cubitum secui: multum, vt debebat, effluebat; leniores ibi euaserunt dolores; sed tusses aridæ permanebãt.*] Ex his huius mali lenitas apparuit: medicis enim auxilijs obseque-batur. Verumtamen non ex eo, quod dolores extenuarentur, in eam sententiam (vt imperiti medici facerent) eundum erat, has ægritudines veluti ætate decrescere: nondum enim viuendi curri-culum eis a natura datum confecerant: nil siquidem expuere, vri-næque tenuitas, cruditatis argumenta, etiamnunc non earum prin-cipia præterijsse aperte monstrabant. imminuebantur igitur dolo res; quia noxiarum etiam caussarum, ex quibus continuo fiebant, exhausto sanguine, diminutio facta erat. V N D E C I M O *febres fuerunt mitiores.*] Febres quoq;, adempta earum fomitis portione, decreuerunt. A L I Q V A N T V M *circa caput sudauit.*] Hic su-dor, vt ex iudicium efficientibus, nullo tamen terrifico signo nota-tis, æque vt commemoratę vrinę, longinquitatem præmonstrabat. E T I A M N V M *tusses durabant: & quæ a pulmone exibant, liqui-diora erant. Decima septima cœpit pauca concocta expuere.*] Obscurũ illud extitit maturescentis pleuritidis indicium; hoc vero perspi-cuum. vnde ex his, iam in futuræ salutis spem inducebamur. V I G E S I M O *sudauit: febre liberatus est a iudicio rectius habuit.*] Ir-ritata a morbi acumine natura, noxiorum humorum eiectionẽ est aggressa: verum, cum ante summam coctionem id attentauerit, confidendum haud erat, hac vna opera ægrum corpus a noxijs hu-moribus vacuum esse facturam. S I T I C V L O S V S *uero erat: & a pulmone non bonæ purgationes.*] Qui reliqui erant humores, si-tim excitabant; immaturiq; nunc etiam existentes, non recte e pulmonibus tussi eijciebantur. Vnde extimescendum erat, ne rur sus efferuescentes, ægrum in easdem angustias impellerent. VIGE-SIMO *septimo redijt febris.*] Natura residuos humores mitigante, septimoq; supra vigesimum iudiciario die maiore opere id atten-tante, febrem iterum commouit. T V S S I I T *multa exscreauit concocta: in vrina multa subsidebant alba.*] Hæc vtriusq; affectionis ex toto maturescentis erant testimonia. D E S I I T *sitire, bene spirans.*] Nocuis enim pleuritidis succis excretis, vna quoque sitis, impeditioq; spiritus illius comites euanuerunt: verum supererant, qui in vasis putrescentes alterius febris erant auctores. Hos igitur affectus veluti vehementes, septimo ab hoc die magna pariter, ci-taque transmutatione e conspectu omnium abstulit. Trigesimo enim quarto die, sudore e toto corpore manante, febris conquieuit, singulaq; vitia ad nihilum reciderunt.

Aegrotus primus primo de morb. uulg. descriptus. Cap. V.



HILISCVS *propter moenia habitabat: hic morbo decubuit: primo die febris fuit acuta; sudauit, laboriosam noctem habuit. postridie omnia exacerbata sunt: uespere a clysteri aluus bene reddidit: nocte quieuit. Die tertio mane, & ad meridiem usq; febri uisus est liber esse: sub crepusculum uero febris eum acuta corripuit una cum sudore: sitibundus erat: lingua praeterea exaruit: nigras urinas reddidit: noctem grauem habuit: non dormiuit: omnino delirauit. quarto cuncta exacerbata sunt: urinae nigrae: nox tolerabilior: urinae melioris coloris. Quinto ad meridiem parum de naribus, idq; merum stillauit: vrinae uariae, in quibus erant suspensiones quaedam, rotundae, geniturae similes, dispersae; non residebant: subdito balano pauca retrimenta flatuosa exierunt. Nocte se grauiter habuit: somni pauci, uerba, deliramenta, extremitates undequaque frigebant; nec iam ad calorem illae amplius redibant: minxit nigra; aliquantum dormiuit: sub diem obmutuit: frigida sudauit: extremae partes liuescebant. Die sexto ad meridiem est defunctus. spiritus huic erat perpetuo, quasi reuocato rarus, & magnus: lien in tumorem rotundum elatus erat: sudores perpetuo frigidi accessiones diebus paribus.*

EXPLANATIO.



BSERVATIONE digna est huius aegrotationis memoria; tum quod digeste, absoluteque plurimos casus, qui huic aegroto acciderunt, enarret; tum ob diem, quae eidem ipsi exitium attulit cum enim morbus paribus diebus accessiones faceret, sexto illius ordinis die naturam extinxit. PRIMO *die febris fuit acuta.*] morbus, quo Philiscus detinebatur, erat febris ex putridis succis in arterijs, venisque existentibus enata; eaque grandis; tactum siquidem maxime mordens, celeriterque feriens, multum a multa similiter putrida bile procedentem exhalationem indicabat. SVDAVIT.] Hic sudor, cum, vt in fine exponit

ponit, frigidus esset, perniciem præmonstrabat: vna enim cũ graui, continuataq; febri apparens innati simul, aduentitiiq; caloris extinctionem ostendit. LABORIOSAM *noctem habuit.*] quod sudores naturam nõ leuassent, quin potius afflixissent; quod postero die secutura esset exacerbatio, duram ideo noctẽ traduxit. POSTRIDIE *omnia sunt exacerbata.*] altero die, & eo pari morbus exagerabatur. quod animaduersione dignum erat, vt hinc stati mortis diei prænotio elici posset. VESPERI *a clysteri aluus bene reddidit, nocte quieuit.*] hæc quidem salutaria erant argumenta (illud ventris firmitatem, id vero morbi benignitatem aperiens) verum inualida; cum, & malo inchoante, quo tempore omnia sunt leuiora, adhæc & accessione remittente elucerent. DIE *tertio mane, & ad meridiem vsque febri uisus est liber esse.*] sic febris, accessione remittente, imminuta fuit; vt ex toto integrum corpus fieri videretur. SVB *crepusculum vero febris eum acuta corripuit vna cum sudore: sitibundus erat: lingua exaruit: nigras vrinas reddidit: noctem grauem habuit: non dormiuit, omnino delirauit.*] At maiore impetu febris rursus inuadens, grauiores accessiones, perniciosioresque casus commouit: ardor enim tam, vt in proximo die, erat insignis, illique etiam exitiosus sudor comes erat. cæteraque ardentem calorem ad stomachum, ad linguam, ad cerebrumque dilatatum, noxiorumque succorum perfectam exustionem designabant. QVARTO *cuncta exacerbata sunt: vrinæ nigræ, nox tolerabilior, vrinæ melioris coloris.*] vt enim crescente febri casus maiores fiebant, sic nocte insequenti decrescente minuebantur. QVINTO *ad meridiem parum de naribus, idque mœrum stillauit.*] conata est natura, quæ ipsi iniuriã faciebant, exturbare; verum præ infirmitate nequiuit. ex quo interitus periculum ostendebatur, eoque magis, cum sanguis ille esset mœrus, scilicet ab omni alterius humoris admixtione vacuus: id enim indicio erat sanguinem a flammeo calore penitus fuisse exustum. VRINÆ *uariæ.*] videlicet modo tenues, modo crassiores, partimque vnius coloris, partim alterius; quæ vltimos naturæ conatus indicabant: parum siquidem firmamenti, ac virium habens confusos, perturbatosque motus ciebat.

IN *quibus erant suspensiones quædam rotundæ, genituræ similes, dispersæ; non residebant.*] Debilis enim calor hasce nubeculas cogere non potis erat, sed dispersas, diffusasq; sinebat. SVBDITO *balano, pauca retrimenta, flatuosa exierunt.*] irritanti quoq; pharmaco nõ respondebat excretrix intestinorũ uis idcirco modica excernebãtur eaq; spirituosa, flatibus nimirũ ab infirmo calore excitatis immixta.

NOCTE

NOCTE *se grauiter habuit; somni pauci: verba, deliramenta, extremitates vndequaque frigebant; nec iam ad calorem illæ amplius redibant.*] Naturæ dissolutio erat in proximo, cum iam extremi artus natiuo tepore eos deserente, nec amplius repetente moribundi essent. MINXIT *nigra: aliquantum dormiuit: sub diem obmutuit.*] Vitali enim potestate, a qua cætera uim, roburque recipiunt, intereunte, vna quoque ea, quæ voluntarijs motibus præest, defecit; propterea vocem non misit. FRIGIDA *sudauit,*] Etsi numquam, vt mox Hippocrates affirmat, sudores frigidi non exstiterint; nunc tamen expresse id apposuit, forte quod essent alterius naturæ; quippe qui non ex malis succis, sed primogenio humore (contentrice facultate prorsus dissipata) effluente prodirent. EXTREMÆ *partes liuescebant.*] vt enim ab igneo elemento, sic a splendore, nitoreque destitutæ, liuore decoloratæ remanebant. DIE *sexto ad meridiem est defunctus.*] Perfractis itaque eius viribus natura sexti diei impetum sustinere non potuit; vnde occubuit. SPIRITVS *huic erat perpetuo quasi reuocato rarus, & magnus.*] Postquam autem Hippocrates varia, cõmutabiliaque sicut euenerant, accidentia retulit; nunc, quæ eandem omni tempore speciem habuerunt, vt iniucunde non repeteret, omissa enarrat. inter hæc erat rarus, vehemensque spiritus, insaniæ, vt in Prognosticis scripsit, nota: animus enim delirantiũ falsis visionibus intentus spirare veluti obliuiscitur; continuo autem ab illius muneris necessitate impulsus, ad id opus se reuocãs, raram at longe, lateque patentem molitur respirationem; vsum quippe ventilandi caloris mora auctum eius officij magnitudine delens. LIEN *in tumorem rotundum elatus erat.*] extra febrem ex putrescentibus in venis, arterijsque succis enatam, lienis quoque aderat inflammatio, quæ globosæ formæ existens, crudam, confusamque humorum, ex quibus oriebatur, congeriem indicabat. SVDORES *perpetuo frigidi: accessiones diebus paribus.*] sed hæc iam sunt interpretata.

Aegrotus secundus primo de morb. vulg. descriptus. Cap. VI.

SILENVM, *qui in Platamonis ædibus prope filios Eualcidis habitabat, ex lassitudinibus, potationibus, & exercitationibus intempestiuis ignis corripuit. cœpit simul ex lumbis laborare, & capitis grauitate tenebatur, collumque contendebatur. Primo die aluus biliosa, mœra, spumosa, affatim colorata, multa reddidit: vrinæ nigræ, in*

quibus

quibus nigra subsiderent, sitibundus erat; lingua arida. nocte nihil dormiuit, altero die febris acuta: retrimenta plura, tenuiora, spumosa, vrinæ nigræ: nox grauis; aliquantum deliraui. Tertio cuncta exacerbabantur: hypocondrij contentio submollis, vtrinque promissa ad vmbilicum: deiectiones tenues, subnigræ: vrinæ turbidæ, nigræ. noctem insomnem duxit: multa verba; risus; cantus: moderari sibi non potuit. Quarto die eadem erant. Quinto deiectiones meræ, biliosæ, leues, perquam pingues: vrinæ tenues, per lucidæ, paucæ: mente constitit. Sexto caput parum exsudauit: extremitates algebant, liuescebant: multum sese iactauit: aluus nihil excreuit: vrinæ restiterunt, febris acuta. Septimo die obmutuit: extremæ partes non amplius redierunt ad calorem: nihil minxit. Octauo frigidus toto corpore sudor, papulæ cum sudore rubentes, rotundæ, paruæ, varis similes permanebant; nec abscessum efficiebant: aluus paruo irritamento stercora tenuia, veluti incocta, multa cum labore reddidit: vrinas reddebat cum dolore mordaces: extrema parum recalescebant: somni tenues: comatosus obmutescebat: vrinæ tenues, perlucidæ. Nono nihil mutabatur. Decimo potum non sumebat: comatosus, & somni tenues: similia alui excrementa: minxit multum quod subcrassum in matella euadebat, quod subsidebat erat simile farinæ crassioris, album, extrema membra iterum frigebant. Vndecimo obijt. a primo hic ad finem vsque spiritum magnum habuit, & rarum; hypocondrij perpetuam palpitationem. annum ætatis agebat circiter vigesimum.

EXPLANATIO.

NON iniucunda erit huius historiæ explicatio, si cum ea, de qua proxime dictum est, comparetur: in his enim intuebimur morbos viribus æquales cum naturis tamen robore dissimilibus pugnantes imparibus æque interuallis occidere. Silenus siquidem a principio graui perinde ac Philiscus ægrotatione correptus, plus tamen roboris habēs, diutius quam hic impetum morbi sustinuit. Silenus igitur ægritudini obnoxius defatigationum frequentium poculorum, intempestiuarūque exercitationum impulsu, in putridam febrem, eamque vehementissimam incidit. COEPIT *simul ex lumbis laborare, & capitis grauitate tenebatur, collumque contendebatur.*] nocui, qui in venis, putridique erant, humores continuam febrem, in capite vero eius copia grauitatis sensum excitarunt. verum lumbi eo dolebant, quod ardentissimus calor

neruosas

neruosas eas partes siccaret, conuelleretq́;, quæ mali morbi significationem faciebant. PRIMO *die aluus biliosa, mœra, spumosa, affatim colorata, multa reddidit: urinæ nigræ, in quibus nigra subside bant: sitibundus erat: lingua arida: nihil dormiuit.*] hæc omnia ingentis similiter ardoris erant effectus. hic enim omnium humorum ichorem absumpsit, ex quo aluus erat syncera, urinarumq́; substantiam, quodq; in ijs subsidebat, atro tinxit colore; sitimq́; linguæ ariditatem, uigiliasq́; conciuit. quæ pariter cum naturali eorum conditioni dissimillima essent, mortem subesse testabantur. ex his tamen stata, certaq́; exitij dies non designabatur. cum enim nullæ infirmitatis notæ in conspectu existerent, obscurum adhuc, incognitumque erat, ad quod tempus naturæ uis esset duratura. ALTERO *die febris acuta, retrimenta plura, tenuuiora, spumosa: urinæ nigræ.*] Grauior continuo morbus fiebat: siquidem febris ualde mordax apparuit; aluusq́; abundantius reddidit, eaq́; crudiora, præ magnoq́; ęstu spumantia; urinæ autem in summa ea prauitate perstabant. NOX *grauis.*] numquam magis nocte, quam die labores, doloresq́; dulcem utpote somnum interpellantes, nullisq́; animum ab huiusmodi acerbo sensu retrahentibus oblectamentis deliniti grauiores esse consueuerunt; cum ad hæc eo tempore noxij succi minus discutiantur: hæc tamen nox, grandescente morbo, iusto etiam odiosior fuit. ALIQVANTVM *delirauit*] Auctæ item humorum putrescentium fuligines, ad cerebrumq́; delatæ, delirium concitarunt. TERTIO *cuncta exacerbata sunt.*] præter id quoq́; quod morbus assidue, uehementerq́; Silenum affligtabat, imparibus insuper diebus accessionem faciebat. HYPOCONDRII *contentio submollis vtrinque promissa ad vmbilicum.*] inter tot deniq́; mala, ceu auctarium, uenit septi transuersi inflammatio, a qua id membrum intentum una etiam extimas, sibiq́; continuas hypocondrij partes ad se trahens, submollem eam (scilicet nullo ei subdito tumore cedentem) tensionem effecit. DEIECTIONES *tenues subnigræ.*] tenues erant cum nulla natiui caloris, ue luti in febrili flamma languescentis mutatione concrescerent: subnigræ uero atrę bilis portione permixta. VRINÆ *turbidæ nigræ.*] locia quoq́; in prauo eo colore persidebant; ad hæc, ingenti putredine omnia confundente, conturbabantur. NOCTEM *insomnem duxit. multa verba risus, cantus: moderari sibi non potuit.*] ardens ea obliqui septi affectio ob molles, multosq́; neruos, quibus id membrum a natura donatum est, ad animi sedem facile diffusa cum inualesceret, magnam insaniam commouit. QVARTO *die eadem erant.*] leuiori etiam

die

die ijdem casus continuantes vehementissimi morbi erant argu menta. QVINTO *deiectiones meræ, perquam pingues.*] eo vsq; tandem processerat adurens calor; vt & humores, & omnem pin guedinem affatim colliquaret. VRINÆ *tenues, perlucidæ, paucæ.* tenues, vt diximus, fiebant, insito calore flaccescente; exiguæ, seroso liquore fere exhausto: splendescentes autem, flauæ bilis, ceu rutilantis, portione commixta. MENTE *constitit.*] ac sane tam aberat, vt hic ad mentem reditus salutare esset indicium, vt potius proximam mortem enunciaret: intempestiuum enim extraque rationem erat, quod non modo non decrescente malo, sed ad interitum ruente hi casus remitterentur: id ergo eueniebat natura intereunte, pugnamque cum morbosis succis amplius non committente. SEXTO *caput parum exsudauit.*] tam graui morbo diutius moderatrix vis non potuit obsistere; ideo virium enascente ruina, exigui sudores circa caput effluxere. EXTREMITATES *algebant, liuescebant.*] vitali vi emoriente ab extremis membris gradatim frigus succedebat. MVLTVM *sese iactauit.*] id quoq; inter infirmæ naturæ signa adnumeratum fuit: ea enim vis, quæ impetu quodam mentis, & voluntate hominum membra mouet, ossa, musculosq; ægre sustentans multis, variisq; motibus accubationem dolore carentem, (quamuis inutiliter) indagabat. VRINÆ *restiterunt.*] quoniam quantum etiam roboris, & neruorum in vegetali erat, ad nihilum fere recisum erat vrinæ ideo stercorisq; excretio cessabat. SEPTIMO *die obmutuit: extremæ partes non amplius redierunt ad calorem: nihil minxit.*] parumdefuit, quin septimo impari, accessionisq; die moreretur: & sane perijsset; nisi fortissimæ, quæ erant, vires, vberiusq; calidum ingenitum, aliquantulum adhuc restitissent. OCTAVO *frigidus toto corpore sudor: papulæ cum sudore rubentes, rotundæ, paruæ varis similes permanebant; nec abscessum faciebant. aluus paruo irritamento stercora tenuuia veluti incocta, multa cum labore reddidit.*] extremos natura octauo die edidit conatus, totisq; eius viribus in vnum coactis morbificos succos profligare cōtendens, sudores, eos tamen febrili, insitoq; calore intereūte, frigidos, papulasq; profudit; pluraq; per aluum eiecit. EXTREMA *parum recalescebant.*] ab his leuata natura, sed papulis potissimum, quæ non subsidebant, summæ partes concaluerunt. SOMNI *tenues.*] obdormiscebat etiā, sed leuiter, igneo calore non sinente natiuum ad interna redire. COMATOSVS *obmutescebat.*] at vespere eius diei reuenit natura ad vltimam infirmitatem, ex quo vigilātium munia obire nequibat; neque enim surgere, neque oculos erigere potens erat; sed

grauabatur, ut spem faceret, si ei permissum esset, fore dormiturum: tamen nec obdormiscebat, nec eam fiduciam seruabat. NONO *nihil mutabatur.*] Expirasset quidem hac die animam, cum septima fere occubuerit, nisi decretorij illi casus a naturæ ceruicibus tantæ molis mali aliquid depulissent. DECIMO *potum non sumebat.*] Iam penitus mouens ex appetitione, & voluntate vis erat dissoluta; vnde, nec potionem glutire valuit. COMATOSVS, *& somni tenues: similia alui excrementa: minxit multum, quod subcrassum in matella euadebat: quod subsidebat, erat simile farinæ crassioris album.*] Id, quod ardentissimus calor a solidis membris colliquarat excretum in vrinis subsidebat. EXTREMA *membra iterum frigebant.*] Moribunda enim ab insito calore destituebantur. VNDECIMO *obijt.*] Accessionis sane die. A PRIMO *hic ad finem vsque spiritum magnum habuit, & rarum; hypocondrij perpetuam palpitationem.*] Post ea, quæ multiformem speciem obtulerunt, accidentia more suo immutabilia, perenniaq; exponit. hic igitur perpetuo spiritum a pulmonibus rarum, lateq; patentem duxit; arteriæq; omni tempore in hypocondrio vehementer attollebantur; quæ furoris, maliq; morbi notas esse proximo volumine ostendimus. ANNVM *ætatis circiter vigesimum agebat.*] Adscripsit autem ætatem, quod non fecit in Philisco; vt tacite, ne miraremur, innueret; cur hic, æque ac Philiscus, a principio, quemadmodum diximus, inter mortifera versatus indicia, ad vndecimum vsque diem vitam protenderit.

Aegrotus iij. primo de morb. vulg. descrip. Cap. VII.



OROPHONTEM *febris acuta corripuit. Per initia aluus pauca, & cuiusmodi in tenesmo solent, deiecit; deinde tenuuia, biliosa, subcrebra: non dormiebat: vrinæ nigræ, tenues. Quinto die mane obsurdescebat: omnia exacerbabantur: lien intumescebat: hypocondrium contendebatur: pauca, & nigra aluus excreuit: desipuit. Sexto delirabat: sub noctem sudabat; frigebat; in delirio perseuerabat. Septimo circumfrigebat; sitiebat; desipiebat: sub noctem ad mentem redijt; obdormiuit. Octauo febricitabat: lien residebat: omnia intelligebat; doluit ei inguen, primum secundum lienem; deinde in vtramque tibiam dolores migrauerunt. noctem facilem habuit: vrinæ erant melioris coloris, & residebant in ijs pauca. Die nono sudauit; iudicatus est; intermisit. Die quinto redijt; simulque splen intumuit; febris acuta; surditas*

ſurditas iterum. Poſt recidiuam tertio die reſidebat lien: imminuebatur ſurditas: crura dolebant. nocte ſudauit: indicatus eſt die ſeptimo decimo: neque in recidiua delirauit.

EXPLANATIO.



EPRÆSENTABIT huius ægri hiſtoria admirabilem, paradoxáq; nominatã vnius affectus conuerſionem. hic enim triſtibus ſic initijs exorſus; vt merito quiuis crediſſet interitum eſſe ſecuturum: poſthæc tamen forti natura noxios ſuccos a claris membris ad obſcura exturbante contra omnium opinionem ſecundos habuit exitus: ingens ergo erat id malum, febris nempe putrida manum maxime mordens, dies, noctesq; affligens. PER *initia aluus pauca, & cuiuſmodi in teneſmo ſolent, deiecit: deinde tenuuia, biliosa, ſubcrebra.*] Tam praui præterea ſucci erant, vt ſtatim in initio crudiſſimi etiamnum ſcilicet exiſtentes naturam ad eorum excretionem irritarint; vnde deijciebantur primum mucoſa, pituitoſaque, & ea pauca, deinde bilioſa, cruda ægrum frequenti ſurrectione vexantia. NON *dormiebat: vrinæ nigræ, tenues.*] Feruens etiam adeo erat aſcititius calor, vt violenter genuinum in externis partibus detinens ægrum in vigilia manere cogeret: ſicq; humores impenſe exurebantur, ut vrinam nigro inficerent colore. Hæc igitur ſingula cum vaſtum, ſupraque vulgares vires affectum indicarent, ægrum in diſcrimine vitæ poſitum eſſe notabant. QVINTO *die mane obſurdeſcebat: omnia exacerbabantur: lien intumeſcebat: hypocondrium contendebatur. pauca, et nigra aluus excreuit; deſipuit.*] Exuſtos, attenuatos, calidoque ſpiritu repletos humores, doloresq; propterea, ac titillationes afferentes huc, illucque quinto die (quo etiam morbo acceſſionem faciente in motu, agitationeq; erant) laceſſita natura diſpulit. partim igitur ad caput impulſi ſurditatẽ, deſipientiamque; partim vero ad lienem tumorem in eo, indeque contentionem in hypocondrio concitarunt: ad aluum vero prolabentes nigras deiectiones effecerunt. Cum ergo, qui ad cerebrum, tamquam ad nobiliſſimam ſedem, ferebantur, morbum adaugerẽt: qui vero ad lienem ceu humiliorem extenuarent, animum ancipiti cura diſtinebant. SEXTO *delirabat.*] Feruidi, mordaceſque illi humores in cerebro conſiſtentes delirationem iugiter conciebant. SVB *noctem ſudabat; frigebat; in delirio perſeuerabat.*] Angebatur a prauis id genus ſuccis natura, varijs, contrarijsq; motibus agitata. illi ergo vndique natiuo calore, quaſi ſubſidio venien-

te, externa membra algebant: foras autem rursum erumpente, sudores item manabant. SEPTIMO *circumfrigebat: sitiebat: desipiebat.*] eadem signa septimo die persistebant. SVB *noctem ad mentem rediit, obdormiuit. octauo febricitabat: lien residebat; omnia intelligebat: doluit ei inguen primum secundum lienem: deinde in vtramq; tibiam dolores migrauerunt. noctem facilem habuit.*] turgidis his succis e capite, lieneq; nobilioribus sedibus ad inguen, hinc ad crura exturbatis, mens ad sanitatem rediit: quæq; terrebant indicia præter spem e uestigio euanuerunt. VRINÆ *meliores coloris, & residebant in iis pauca.*] detrusis enim humoribus, qui naturæ ornatu uestiri non poterant in humiles partes benigni concoqui, mitigariq; cœperunt. DIE *nono sudauit. iudicatus est: intermisit.*] præpropere nono die irritata a morbi acumine natura, iudicium attentans, illud solum inchoauit. DIE *quinto rediit; simulq; splen intumuit: febris acuta: surditas iterum.*] qui igitur residui erant humores, rursus putrescentes febrem, ad splenemq; delati, eius partis tumorem, ad cerebrum uero surditatem concitarunt. POST *recidiuam tertio die residebat lien: imminuebatur surditas: crura dolebant. nocte sudauit: iudicatus est die septimo decimo.*] Iterum ergo natura a præcipuis his membris ad ignobilia, per corporisq; inuisos meatus eos extra corpora exturbans decimo septimo die, iudiciario, quartoq; a quartodecimo morbum penitus confecit. NEQVE *in recidiua delirauit.*] non delirauit in hoc postremo conflictu, cum priori iudicio mordaciores, acrioresq; succi fere essent exhausti.

Aegrotus vi. primo de morb. vulg. descrip. Cap. VIII.



LEONACTIDEM, *qui supra Heracleum decumbebat ignis corripuit erratice. a primo caput ei, & sinistrum latus dolebant; cæteraq; laborabant, perinde vt lassa. Febrium accessiones alias aliter inordinatæ erant: modo sudabat; modo non: fere accessiones inuadebant decretoriis diebus maxime. circa diem vigesimumquartum extremas manus dolor affecit: vomuit flaua, biliosa, subcrebra, & paullopost virulenta: cuncta remissa sunt. circa diem trigesimum ex vtrisq; naribus prorumpere sanguis cœpit; idq; erratice paullatim usque ad iudicium: non abhorrebat a cibo; nec sitibundus erat toto tempore, neque insomnis: vrinæ tenues, non decolores. circa diem quadragesimum subrubra minxit, cum subrubro sedimento multo: leuius habuit.*

post

post variarunt vrinæ: interim sedimentum habebant; interim non. Sexagesimo multum habebant sedimentum vrinæ, album, & læue. omnia sunt remissa: febres intermiserunt: vrinæ iterum tenues quidem, sed boni coloris. Die Septuagesimo febris intermisit decem dies. Octogesimo riguit: acuta febris inuasit: multum sudauit: vrinæ sedimentum rubrum, leue habuerunt. prorsus iudicatus est.

EXPLANATIO.



RÆHENDIT hunc uehemens febris, sed nullo certo circuitu constituta: unde huius morbi semina erant putridi succi, ijq; diuersi; qui cum uarijs temporum spacijs ab una sede ad aliam confluerent, (ut uarijs eque temporibus gignebantur) inordinatas accessiones faciebant. Grauis igitur erat morbus, febris quippe magna, continuaq;, eaq; ex putrescentibus, dissimilibusq; humoribus enata. A PRIMO *caput ei & sinistrum latus dolebant.*] Extra febrem humores etiam in capite exuberabant; qui per uim illud distendentes tristem sensum excitabant; adhæc & sinistrum latus dolebat, ex lienis id forte aliqua affectione proueniens. COETERAQVE *laborabant, perinde ut lassa.*] ex se, non extrinsecus commota erat hæc lassitudo, multis pariter, vitiosisq; humoribus progenita. MODO *sudabat; modo non. febrium accessiones alias aliter inordinatæ erant.*] ut plures erant succi ex diuersis partibus effluentes, uarijq; eorum ortus; sic febris aliter, atq; aliter, modoq; cum sudore, modo sine sudore accedebat. FERE *accessiones decretorijs diebus magis inuadebant.*] ex eo etiam huius mali magnitudo notabatur; quod iudiciarijs diebus, in quibus firma, rataq; magis sunt euenta, naturæq; uis eminentior, grauior fieret. CIRCA *diem vigesimum quartum extremas manus dolor affecit: vomuit flaua, biliosa, subcrebra; & paullopost virulenta: cuncta remissa sunt.*] preualuit tamen natura; decretorioq; die biliosos humores primum, utpote qui facilius coquuntur, magno emolumento eiecit. manus autem ori uentriculi, per quem nocentes succi exhauriebantur, sympathia quadam condoluerunt. CIRCA *diem trigesimum ex vtrisque naribus prorumpere sanguis cœpit, idque erratice paullatim vsq; ad iudicium.*] Iudicij hoc efficiens erat; quod tamen cum morbum non tolleret, nec minueret; neque præterea in eo mortiferæ notæ apparerent, morbi diuturnitatem ostendit. NON *abhorrebat a cibo: nec sitibundus erat toto tempore; neque inso-*

insomnis.] Hæc etiam inter bonæ spei notæ erant, vt quæ iecur, ventriculum, cor, cerebrumque primaria, nobilissimaque membra in graui aliquo vitio non esse monstrarent. VRINÆ *tenues, non decolores.*] crudi etiamnum perstabant nocui humores, nisique leuiter, obscureque maturescebant: quod etiam morbi finem in multum adhuc tempus tractum esse significationem faciebat. CIRCA *diem quadragesimum subrubra minxit cum rubro sedimento multo. post variarunt vrinæ: interim sedimentum habebant; interim non.*] Aliquos tandem natura secundo viceno concoxit; nonnulli hactenus crudi perstiterunt: qui tamen cum sanguinis naturam tenerent salutarem quidem, at diuturnum fore morbum pollicebantur. SEXAGESIMO *multum habebant vrinæ sedimentum, album, & læue; febres intermiserunt: vrinæ iterum tenues quidem, sed boni coloris.*] Ea humorum portio, quę maturescebat, magis ad mutantis naturam accessit: ex quo alba, leuiaque contenta apparuerunt. DIE *septuagesimo febris intermisit decem dies.*] Infida, instabilisque erat hæc morbi abitio, cum etiamnum hic affectus natutalem circuitum non confecisset. OCTOGESIMO *riguit acuta febris inuasit: multum sudauit: vrinæ sedimentum rubrum læue habuerunt prorsus iudicatus est.*] octogesimo igitur iudiciario die affatim morbificis succis mitigatis, eiectisque humoribus, qui ad nutriendum idonei non erant, morbus penitus desijt.

Aegrotus septim. tert. de morb. vulg. post tempest. descript. Cap. IX.



BDERÆ *virginem, quæ in sacra via decumbebat, febris cœpit acuta, & ardens: siticulosa erat, & insomnis: menses autem ei primum profluxerunt. eam sexto die multum cœpit fastidium: rubuit, horrebat, languebat. Septimo die eadem erant: vrinæ tenues, sed boni coloris: venter non vexabat. Octauo surditas, febris acuta, insomnis, fastidiosa, horrebatque; mentis erat compos; vrinæ similes. Nono nihil est mutatum; nec proximis diebus; mansit item surditas. Quartodecimo mens perturbata fuit; febris remißior. Septimodecimo multum fluxit ex naribus: surditas nonnihil est imminuta. Sequentibus diebus eam fastidium, surditasque tenebant; eratque delira. Vigesimo ei pedes dolebant: surditas, & delirium eam deseruerunt: aliquantum e naribus erupit; sudauit; febre fuit liberata. Quarto, & vigesimo repetijt: redijt surditas: pedes aßidue dolebant: mente excidit.*

Vigesimo septimo multum sudauit: febre caruit: surditas eam reliquit. restabat pedum dolor: cætero fuit exacte iudicata.

EXPLANATIO.



RÆTER maligna, & salutaria decretoria quoque huius virginis historia nobis exhibebit indicia. Hac FEBRIS *cœpit acuta, & ardens.*] Magna quippe, vt quæ impendio & mordax esset, & calida (talem enim in præsentia illę notæ designant.) SITICVLOSA *erat, & insomnis.*] Flammeum pariter eum calorem, & illum quidem late diffusum sitis vtpote frigidi, humidiq; desiderium, vigiliæque veluti sentientis facultatis redundantes motus luculente monstrabant. MENSES *autem ei primum profluxerunt.*] Magna humorum erat copia, a qua natura grauata ad illorum eiectionem assurgens per vteri venas expellere tentauit. verum, cum morbus ab ea neque ex toto, neque ex parte desineret, illius diuturnitas designabatur. EAM *sexto die multum cœpit fastidium: rubuit, horrebat, languebat.*] Hac primum die terrifica apparuerunt argumenta; multa scilicet cibi satietas, & corporis ad munera fungenda veluti torpor; illud vegetatricis facultatis, hic vero mouentis imbecillitatem ostendens. at rubor, vehementi calore sanguinem fundente; horror autem mordacibus excrementis corpus traicientibus, euenerunt. SEPTIMO *die eadem erant, vrinæ tenues, sed boni coloris.*] Inierunt modo noxij humores coctionem, sed obscuram vrinis solo colore naturalibus assimilatis. ex quo etiam perspicuum erat citra vigesimam non esse finem facturum, cum nisi septima die leuia hæc maturitatis signa exstarent. VENTER *non vexabat.*] Laborabat forte hæc mulier in pestilēti eo statu tertio de morb. vul. ab Hippocrate descripto; cui, cū præcipuum id, peculiareque esset ægros ventris vitio interimere, tamquam rarum, quodque salutem ostenderet, apposuit, aluum non effluxisse. OCTAVO; *surditas febris acuta; insomnis, fastidiosa, horrebatque; mentis erat compos; vrinæ similes.*] Ferebantur mali succi, præcipueque frigidi ad audientes meatus illuc a febrili calore impulsi, qui grauem eum auditum effecerunt. QVARTODECIMO *mens perturbata fuit: febris remissior.*] Id quoque vergentium humorum ad caput, sed calidorum mordaciumque indicio fuit. iudicium ergo hæc signa prænunciabant, quæ tamē num denunciatione periculi terrerent, aut spe salutis consolatione

ne aliqua sustentarent, dubia adhuc erant, & suspiciosa. SEPTIMODECIMO *multum fluxit ex naribus, surditas est nonnihil imminuta.*] Decima septima die, cuius decima quarta erat index, natura sanguinem e naribus effundente, surditateque propterea remittente, metus mortis diminuebatur. SEQVENTIBVS *diebus eam fastidium, surditasque tenebant, eratque delira.*] Rursus hæc erant futuræ crisis testimonia. VIGESIMO *ei pedes dolebant surditas, & delirium eam deseruerunt. aliquantum e naribus erupit, sudauit, febre fuit liberata.*] Curam omnem fere sustulit magna hæc, repentinaque conuersio: sanguine enim e naribus erumpente, sudoreque e toto corpore manante, febris prorsus euanuit: surditas autem, & ipsa nunc discessit frigidis, qui eam efficiebant humoribus, ad pedes detrusis. infidus tamen erat hic morbi abitus, cum incocti etiamnum morbosi humores existerent: vnde timendum erat, ne reuersionem faceret. QVARTO, & *vigesimo repetijt, redijt, surditas: pedes assidue dolebant; mente excidit. vigesimo septimo multum sudauit, febre caruit, surditas eam reliquit. Restabat pedum dolor, cætero fuit exacte iudicata.*] Ille morbosę caussæ, quæ a reliquo corpore ad pedes abscesserunt, vt a mala affectione id eripuerunt, sic crudæ adhuc existentes, post id tempus etiam pedes vexarunt.

Aegrotus nonus tert. de morb. vulg. post tempest. descript. Cap. X.



BDERÆ *Herophytho caput dolebat, nec decumbebat, quod tamen fecit paullopost. Hic ad superiorem viam habitabat, captus est febri ardente, & acuta. Primo vomuit multa biliosa, sitibundus multum implacidus: vrinæ tenues, nigræ, suspensio sublimis interdum, interdum non: noctem habuit laboriosam: febris alias aliter exacerbatur, sed fere inordinate. Circa diem quartumdecimum surditas: febres creuerunt; vrinæ eædem fuerunt. Vigesimo multa delirauit; itemque sequentibus diebus. Quadragesimo multum ex naribus sanguinis erupit, menteque constitit magis: surdus quidem, sed non perinde fuit: febres fuerunt remissæ. Proximis diebus crebro ex naribus sanguis, & paullatim, erupit. circa diem sexagesimum e naribus quidem substiterunt, eruptiones; sed dextra coxendix admodum dolebat, febresque increuerunt. Haud multo post partes inferiores omnes dolebant. fiebat autem, vt vel febres maiores essent, maiorque surditas, vel hæ qui*

dem

dem remitterentur, alleuarenturq́; uerum partes inferiores ad coxendices sitæ uehementius dolerent. iam uero circa diem octogesimum cuncta remissa sunt; nihil tamen destitit: & enim urinæ boni coloris, & copiosiores subsidentias habentes exierunt, deliriaq́ imminuta sunt. Circa diem centesimum aluus fuit turbata multis biliosis, durabantq́ diu multa talia, deinde dysenterica cum dolore. reliqua leuia fuerunt. in summa febres cum reliquerunt; discessitq́ surditas. Centesimo & uigesimo est absolute iudicatus.

EXPLANATIO.



ROFERET nobis huius ægri casus illustrem, admirabilemque morbi, naturæque pugnam, hic enim fortissimus eius viribus grauem ægritudinem alioquin præcipitaturus sustinuit, tandemque confecit. primo scilicet die, quo febricitare, non quo capite dolere cœpit, aut decumbere: neque enim capitis dolor nisi consueta munia impediat, inter ægrotantium signa iure censetur, multominus cubare, vir enim fortis, vel negotijs distentus tardius; ignauus vero, timidusque celerius decumbere consueuerunt. VOMVIT *multa biliosa.*] Decretoriæ hæ vomitiones statim, simulque præterea cum aliis malis indiciis apparentes malum æque morbum designabant. SITIBVNDVS; *multum implacidus, urinæ tenues, & nigræ: suspensio sublimis interdum, interdum non.*] Huiusmodi etiam hi casus erant: inquietudo enim grandem affectum, vrinæ vero ardentem calorem succos exurentem insequebantur. NOCTEM *habuit laboriosam.*] Grauis quoq; nox graue pariter malum monstrabat. FEBRIS *alias aliter exacerbabatur: sed fere inordinate.*] Vt varij erant humores varie, diuerseque putrescentes, sic diuersas, inordinatasque ciebant commotiones. talia ergo accidentia multum quidem dissimilia, at non dissimillima, timendum sane esse, haud tamen penitus desperandum admonebant. CIRCA *diem quartumdecimũ surditas: febres creuerunt. Vrinæ cædem fuerunt.*] Hactenus nullum nouum signum præter surditatem apparuit; quæ ex iudiciariis signis existens noxios succos ad caput inclinare monstrabat. VIGESIMO MVLTVM *delirauit, itemque sequentibus diebus.*] supra etiam ostendimus delirium ex his esse, quæ crisim portendunt: vnde, num hæc fausta, aut terribilia essent indicia, deliberationem habebat. QVADRAGESIMO MVLTVM EX *naribus, & sanguinis erupit; menteque constitit*

magis surdus quidem, sed non perinde fuit. febres fuerunt remissæ. proximis diebus crebro ex naribus sanguis erupit, & paullatim erupit.] Quadragesima dies, quam vigesima monstrarat, dubiam, obscuramque rem euoluit: sanguinis enim ea effusio cum morbosos affectus mitigarit, salutares notas fuisse proposuit. CIRCA *diem sexagesimum e naribus quidem substiterunt eruptiones; sed dextra coxendix admodum dolebat, febresque increuerunt.*] Calidis tenuibusque humoribus exhaustis, crassi ad purgationemque inepti in infernos articulos abscederunt. HAVD *multo post partes inferiores omnes dolebant, fiebat autem, vt vel febres maiores essent; maiorque surditas, vel hæ quidem remitterentur, alleuarenturque; verum partes inferiores ad coxendices sitæ uehementius dolerent.*] Huc, illucque noxij succi cum impellerentur, modo ad infernas partes delati tristem ipsis sensum rursus autem ad caput recurrentes surditatem maiorem, maioresque, febres concitabant. IAM *vero circa diem octogesimum cuncta remissa sunt; nihil tamen destitit etenim vrinæ boni coloris, & copiosiores subsidentias habentes exierunt, deliriaque imminuta sunt.*] Superior tandem esse cœpit morbosis caussis fortissima natura: vnde dolores ac febres, & deliria, quæ ijs maturescentibus, quasi vmbrę consequebantur, in nihilum fere reciderunt. CIRCA *diem centesimum aluus fuit turbata multis biliosis; durabantque diu multà talia, deinde dysenterica cum dolore, reliqua leuia fuerunt. in summa febres eum reliquerunt; discessitque surditas. Centesimo & vigesimo absolute est indicatus.*] Quos natura humores in sui naturam conuertere nequiuit, quamuis ad amicam, similemque qualitatem deduxisset tamquam onus superuacuum multo tẽpore deiecit, qui etiam cum calidi, mordacesque existerent, non iniuste tormina excitabant; centesimoque, & vigesimo die iudiciario penitus disiectis, expulsisque victoriam plane reportauit.



In crisium

In crisium præsagitione exercitatio. Cap. XI.



VM iam historiæ hæc vberem signorum salutarium, terribiliumque copiam suggesserint, exhauriendus est hic sermo; ad Decretoriasque notas conuertendus. Harum enim cum rarissima in ijs ægrotãtibus habeantur exempla, vt in illis quoque nosipsos satis commode exerceamus, traducendi sunt quipiam ex Prognosticis morbi, in quibus ueluti in clarissimis documentis diuus Hippocrates nonnullos iudiciorum modos perspicue, dilucideque sic expressit; vt quasi oculis intueri videantur. De inflammatione igitur hypocondrii tractans hæc scripta reliquit.

Ex Hippocrate primo prognosticorum. De hypocondrij tumoribus. Cap. XII.



EDEMA *in hypocondrio durum, ac dolens pessimum est, si fuerit circa totum hypocondrium: si vero fuerit in altera parte in sinistra minus periculosum est: significant autem huiusmodi œdemata in principio periculum mortis breui futuræ, si autem febris perseuerans vigesimum diem transgrediatur, & œdema non subsistat, in suppurationem uertitur. Accidit his in primis circuitionibus sanguinis e naribus fluor, atq; admodum iuuat. Sed requirẽdum est, num doleant caput, an hebetudines subeant oculorum: siquid enim horum fuerit, eo tendet; magis tamen in iunioribus quinto & trigesimo anno sanguinis fluorem, expectare oportet. Quæ uero mollia sunt œdemata, & indolentia, & pressa digitis cedunt, diuturniorem efficiunt iudicationem at minus illis grauia sunt. si uero prætereat sexagesimum diem, & febris detineat, nec desistat œdema fore suppurationem hoc loco, & reliquo uentre significat.*

EXPLANATIO.



EDEMA *in hypocondrio durum, ac dolens peßimũ est, si fuerit circa totum hypocondrium.*] Grauissimum (inquit) vitium est vniuersarum partium, quæ chartilagini subsunt, ventriculi nempe, iecoris, lienisq; inflãmatio,) hanc enim Hippocrates durum, & dolens œdema appellat) calida siquidem est affectio, quippe ex calidis humoribus, iisq; putrescentibus oriens, longeq; præterea, lateq; patẽs; nobilissimas adhęc sedes, vtpote cordi vicinas, arteriarũq;, & uenarũ

interuentu cum eo societatem habentes affligens. SI VERO *in altera parte fuerit, in sinistra minus periculosum est.*] Mitior est, vbi sinistram solum regionem præhenderit: tunc enim solus lien inter enarrata membra obscurior afficitur. ex quo liquet inter vtramque esse, si dextra tantum pars, cui iecur est subiectum, laborat. SIGNIFICANT *autem huiusmodi œdemata in principio periculum mortis breui futuræ.*] Cum enim huiusmodi inflammationes a continuis febribus nequeant diuelli, caussæque earum magna vi nobilissimas corporis partes dissoluant, merito subitum terrorem incutiunt. SI *autem febris perseuerans vigesimum diem transgrediatur, & œdema non subsistat, in suppurationem vertitur.*] Acutorum morborum, qui scilicet excretione confici consueuerunt, terminus est vigesimus dies. vbi ergo intra id spacium neque substiterint, neque conquieuerint, nec inflammatio tenuiori portione in auram dispersa, in scirrum fuerit versa, vel prorsus digesto humore id ipsum efficiente, disiecta (quod febris, tumorisque continuatio dilucide demonstrant) abscessum efficiet; nequeuntibus noxijs succis, vel ob eorum crassitiem, vel ob vias obstructas effundi. ACCIDIT *is in primis circuitionibus etiam sanguinis e naribus fluor atque admodum iuuat.*] Merito quoque sanguinis e naribus eiectione hi iudicari consueuerunt; cum & morbum conficiens humor sanguis sit, vel sanguine commixtus; prætereaque feruens ex se ad superas regiones inclinans; affectæque partes naribus iunctæ sint, & continuatæ. frequentissime autem id fit prima septimana, calidissimis tunc, qui iudicantur, existentibus humoribus: rarius secunda: rarissime sequentibus; morbis a feruido eo calore sensim, vt progrediuntur, declinantibus. SED *requirendum est, num doleant caput, an hebetudines subeant oculorum: si quid enim horum fuerit, eo tendet.* Minime dubiam hanc præcognitionem facient decretorij casus: vbi enim capitis dolor, vbi oculorum hebetudines, vbi lachrimæ inuitæ, vbi maxillarum, nariumque rubor mox apparuerit, sanguinis id profluuium, quasi certo futurum, expectabitur: eueniunt enim hæc, sanguine iam illuc irrepente. MAGIS *tamen in iunioribus quinto, & trigesimo anno sanguinis fluorem expectare oportet.*] Per hanc enim ætatem & sanguis, calorque abundat, & natura præterea viget. QVÆ VERO MOLLIA *sunt œdemata, & indolentia, & pressa digitis cedunt, diuturniorem efficiunt iudicationem; ac minus illis grauia sunt.*] Non æque periculosi sunt molles tumores, qui digitis pressi in foueam excauantur, a posterioribus proprio nomine œdemata appellati:

hi enim ex pituita miti, frigidoq; humore progeniti, mitem quidem, sed diuturniorem, vtpote succi visciditate, lentore, frigiditateq; maturanti calori valde obsistentem morbum efficiunt. S i *uero prætereat sexagesimum diem, & febris detineat, nec desistat œdema, fore suppurationem hoc loco, & reliquo ventre significat.*] Iure quoque ac merito hi tumores diuturniori tempore suppurantur, cum vti diximus difficilius multoque pariter interuallo mutationem suscipiant. Hactenus de hypocondrij inflammationibus; de capitis autem dolore hæc litteris consignauit.

Ex tertio prognost. De Capitis dolore. Cap. XIII.



A p i t i s *dolores vehementes, & continui cum febri, si quod ex indicijs extiterit exitiosis, læthales admodum sunt. Si vero sine talibus indicijs dolor vigesimum transeat diem, & febris detineat, sperare oportet sanguinis e naribus eruptionem, aut alium quempiam abscessum ad inferas sedes. Sed, quoad dolor fuerit recens, expectare oportet consimiliter sanguinis e naribus eruptionem, vel suppurationem, præsertim si dolor circa tempora, circa frontem fuerit.*

EXPLANATIO.



V i v s orationis compositus sensus est. Ingens capitis dolor æque concitatus continuans cum febri, si vna cum læthalibus signis aduenerit, penitus mortiferus censendus: tunc enim non futurum aliquod iudicium, sed grauissimam cerebri affectionem ad cor itidem diffusam designat. at, si vna cum salutaribus signis eluxerit (magni eo tempore morbi ex humoribus geniti, venturæq; crisis nota) dum recens fuerit, sanguinis e naribus eruptionem, progressa vero, & eam quidem, sed & suppurationem (sanguine ea mora ad pus conuerso) præmonstrabit. Verum si vltra vigesimam protrahatur, cum id nonnunquam ob succorũ abundantiam, sæpius vero ob crassitiem, & cruditatem eueniat, interdum etiam huiusmodi profluuiũ, frequenter autẽ suppurationẽ, aut abscessum portendet: potissimum vero sanguinis fluxus eueniet cum circa

frontem,

frontem,& tempora vehemens,pulſansq; dolor afflixerit: id enim illius regionis arterias feruido ſanguine repletas eſſe demonſtrat. MAGIS *autem oportet expectare ſanguinis eruptionem in iunioribus trigeſimum quintum annum agentibus; in ſenioribus vero ſuppurationem.*] Ductum eſt hoc argumentum, vt & in hypocondrij inflammatione,a noxij humoris natura,viriumq; præterea robore: merito enim in illis,vt qui bilioſo ſanguine abundant, multumq; roboris habent,ſanguinis fluor,in ijs autem contrarijs rationibus ſuppuratio,expectatur. De peripneumonicis adæq; commentatus, qua via futuri abſceſſus præſentiantur, hiſce verbis palam fecit.

De pulmonis inflammatione, ex ſecundo prognoſt. Cap. XIIII.



QVIBVSCVNQVE ex pulmonia abſceſſus circa aures fiunt, & ſuppurantur, vel ad inferas ſedes & fiſtulantur, ij liberantur. Conſiderare autem oportet talia hunc in modum: ſi febris detinet, & dolor non ceſſauerit, & ſputum non excernatur ſecundum rationem, neq; bilioſæ fuerint alui deiectiones,neq; diſſolutæ,atq; ſynceræ, neque vrina valde multa, ac plurimum continens ſedimentum: promittitur autem ſalubris ab omnibus alijs ſalutiferis ſignis; in his oportet huiuſmodi abſceſſus futuros ſperare.

EXPLANATIO.



SVNT omnes hi ſcopi, quos ad præuidendos futuros abſceſſus intuendos eſſe notauit, a natura morbi deſumpti: magnus enim morbus eſt pulmonis inflammatio,vnde grandem æque, ſubitamq; mutationem efficere poteſt. Vbi igitur febris perpetuo affligit,nec dolor deſiſtit (certa indicia ægrum adhuc graui eo morbo detineri) futuræ criſis ſpes oſtenditur. Verum abſceſſu ne ſit euentura,his rationibus definietur. Si enim ſputum,vt par eſt,non emittitur,neq; bilioſæ ſint alui deiectiones,neq; diſſolutæ, aut ſynceræ,quę excretionis ſignificationem faciunt,in abſceſſum deſinet. NEC *vrina valde multa, ac plurimum continens ſedimentum.*] Inſpectandæ etiam ſunt vrinæ; nam lubricum eſt propoſitum morbi magnitudo, cum morbi prorogantur, ad præmonſtrandum futurum abſceſſum: interdum ſiquidem euenit coctione etiam e con-

ſpectu

ſpectu omnium auferri, illiusq; reliquias per vrinas excerni. vnde & in aphoriſmis Hippocrates ſcriptum reliquit: abſceſſum futurum ad articulos remouere vrinam multam, craſſam, albam factam. *Sectio 4. apho. 74.* Si ergo vrina quoque diu tenuis, crudaq; feratur, quæ crudos, craſſos, ad excretionemq; ineptos eſſe humores oſtendit, præſagitionem confirmabit. PROMITTITVR *autem ſalubris ab omnibus alijs ſalutaribus ſignis.*] Appoſuit Hippocrates poſtremo hanc conditionem, vt ratam, penitusq; definitam præſenſionem efficeret. nam quamuis prædicta ſigna adſint, niſi quoque morbus a periculo tutus exiſtat, fieri poteſt, vt huiuſmodi criſis non eueniat. Vbi enim inter malas notas infirmæ naturæ ſigna exiſtant, nullum morbus ſubibit iudicium. Cæterum, quæ ſequuntur, inter decretoria ſigna habentur. FIVNT *hi quidem in partibus inferioribus, quibus circa hypocondria flammeus c[illegible]or innaſcitur.*] Hic enim eo confluentium humorum eſt initium. IN *ſuperioribus vero, quibus hypocondrium flaccidum, ac ſine dolore perſeuerat.*] Id ſiquidem, cum infernas pulmoni regiones nulla affectione tentari deſignet, ad ſupernas ferri demonſtrat. SI *vero aliquando difficulter reſpirauerit, ſine alia manifeſta occaſione ceſſabit.*] Hæc item ſpirationis difficultas, quæ ſubito innaſcitur, definitq;, ſine euidenti excretione humorum per pulmones traicientium eſt argumentum.


FINIS.

CELSI MARTINENGI DE METHODIS COMMENTARIVS,

AD PERILLVSTREM COMITEM

VM

FRANC. MARTINENGVM.



CVM PRIVILEGIO.




VENETIIS,

Apud Ioan. Baptistam Somaschum.

M D XXCIIII.

AD PERILLVSTREM ORNATISSIMVMQVE COMITEM FRANC. MARTINENGVM.





Agna, & admirabilis est Virtutis uis, Comes ornatissime; ut quæ mortales ex terrenis his sordibus ad Diuorum similitudinem extollens, gloriam ipsis, cuius gradibus uidentur in cælum ascendere, paret; eximiaque eius forma uiros etiam nulla consuetudine coniunctos, quin penitus inuisos, in amorem sui rapiat. id ego in meipso expertum ingenue testari possum; qui cum bonorum incorruptam uocem de magnis, clarissimisque tuis Virtutibus iudicantium audiuissem; mirum; quos mihi igniculos tui colendi, amandiq. excitarit. Magnifica enim ea liberalitas, difficillima grauitatis cum humanitate coniunctio, fortitudinisq; & temperantiæ suauissimus ille concentus, quibus maxime fulges, sic animos non solum multitudinis, uerum etiam Principum admiratione permulcent; ut & Te mirifice diligant, summisque honoribus afficiant. Horum igitur uestigia & ego longe sequu-

tus, ut aduersus tam excellentem Virtutem, quam possum, & debeo, reuerentiam adhibeam; hæc publica mea monumenta dico, & dono: quæ si minus magnis tuis meritis respondent; at certe non erunt a grandi tuo animo aliena, cuius est parua, æque ac magna libenter, prompteq; accipere. Ea gitur uelut in quibus immortalis nominis tui memoria consecratur; ceuq; meæ in Te obseruantiæ expreßa argumenta, benignus accipias, foueasq;. Ista enim honesta, grataq; uoluntate ad maiora me studia incendens, digniorem in posterum efficies, qui debitas Virtuti tuæ laudes possim exsoluere.

CELSI

MARTINENGI

DE METHODIS

COMMENTARIVS.



Præfatio. *Cap. I.*



A quidem humanam mentem & intelligentiam consequitur ratio, vt ingenitis quamuis desiderij contemplandę veritatis igniculis sit accensæ hanc tamen, ceu magna naturæ obscuritate inuolutam, varijsque labyrinthis implexam, vix sine certarum artium auxilio e latebris eruere, atq; in lucem reuocare queat: illis enim, tanquam rectissimis semitis, errare non patientibus, cum tortuosos veritatis peragrat recessus, ingressa, minime vagatur, sed recta ad eam statim contendit via. Vnde non immerito Hippocrates, vir diuinus, eius generis rationes, vias rectas, posteriores Methodos, Cicero autem instituta, artesque agendi quidpiam nuncupauit. Sic hisce olim maiores nostri progredientes rudes adhuc, vulgaresque scientias excoluere, fereque absoluerunt, vt propterea secuta ætas diuinos ipsis habuerit honores, eorumq; vestigia, velut quorundam numinum, sit consectata. Hanc ergo frugiferam, oppidoque fructuosam rem cum & obscuram illustrare, & dispersam colligere in animum induxerim meum, initio vniuersam Methodi naturam vestigãs eam deinceps in certas species diducam: subinde vniuscuiusque præcepta, certasque vtendi vias, atq; eorum demum vsum subijciens inceptam ad suscepti muneris finem orationem perducam.

Quid

Quid sit Methodus. Cap. II.



Ed, quoniam Methodi vis est inuoluta ac plena controuersiæ, altius res est inchoanda; huiusque inuentionis apertum aliquod, communeq; initium statuendum; inde sensim, ac sensim ad minus commune, & ad proprium genus vsque perueniendum. Principio igitur, cum omnium con cessu detur, Methodum existere, consequitur vel esse quid per se subsistens, vel eius naturam in alijs possidere. at cum liqueat Methodum non esse in genere per se existentium, siquidem in animis nostris insedit, relinquitur in accidentium genere reperiri. Sed ex accidentibus quædam cum simplicia sint, Quanta nempe, Qualia, & quæ ad alterum referuntur; quædam vero compositionis speciem præseferant; quia scilicet ex simplicium connexione ortum ducunt; Methodus in horum pariter genere haud est collocanda. nam, cum ex corpore, & Quanto duo exoriantur rerũ genera, Quando nimirum, & vbi; sub horum nullo Methodum reponi euidens est: neque enim formam significat ex temporis insidentia illitam, neque circumscriptionem corporis a circumscriptione loci prodeuntem. Cum etiam ex substantiæ, & Qualitatis coniunctione duo alia rerum attributa emanent, quippe Actio, & Passio; in his quoque Methodus nec suam obtinet sedem. nam, quod non sit aliqua Actionis illatio, tam clarum est, vt nulla prorsus indigeat probatione. quod vero factum aliquod censendum non sit, quandam requirit ostensionem: quandoquidem cum distribuendo, componendo, finiendo, demonstrando, via quadam, & ratione progredi asseueremus; ex eo autem aliquid agere denominemur, non iniuria hæret animus, an sub hoc genere sit statuenda. Verum, si rem acrius intueamur, nobis apertum fiet dissimilitudinem adesse: nam, si dispertientes, construentes, terminantes Methodo progredimur, non ergo actio illa Methodus est, sed aliud quid. Hinc expresse Galenus asserebat Methodum communem quandam viam esse; eam tamen absque exercitatione artificem bonum minime posse efficere: quin alibi Methodum in vniuersalibus, exercitationem vero in singularibus consistere attestabatur. is igitur vsus, eaque tractatio non est requisita Methodi vis: ex quo sub Actionis natura collocari iure nõ potest. iterum autem, cum ex substantiæ, & Relationis contextu ea forma gignatur, quæ ex quadam partium dispositione emergit,

ex eiuſque, & alicuius rei arte conſtructæ compoſitione. Habendi modus exiſtat, nullius iſtorum æque generum eſſe luce clarius apparet. Reliquum ergo eſt, vt cum in nullo compoſitorum conſiſtat, in ſimplicium aliquo ſit reponenda. ſimplicia autem accidētia cum partim abſolute, partim in reſpectu conſiderentur; dubiū aliquod poteſt inſurgere, an de Relatiuorum natura exiſtat: ſiquidem Methodus, vt Galenus memoriæ prodidit, ordinem habet; ordo autem eſt quædam prioris ad poſterior relatio. Cæterum, quamuis ea, quæ Methodus concludit, ordine quodam ſint diſpoſita, dum ſcilicet primum aliquod tractandum proponitur, aliud ſecundum, tertium, & quartum; attamen ea diſpoſitio Methodus non habetur, ſed aliquid ipſi inhærens. Quare, cum de eorum, quæ in reſpectu ſunt, ſerie non exiſtat, relinquitur aliquod eſſe abſolutum. abſolutorum autem cum alia ſint Quanta, alia Qualia; perſpicuum etiam magis eſt, quam dici poſſit, aliquod quantum non eſſe. vnde fit Methodum Qualitatis generi eſſe ſubijciendam. At, cum Qualitas adhuc ſit aliquid commune nimis, vlterius progredientes, cum quædam animæ, quædam corporis ſit, dubio procul Methodus animæ qualitas eſt, non corporis; neque vero totius animæ, ſed eius tantum, quæ rationis, & conſilij particeps eſt, intelligentiæ nimirum. nam, cum ex Galeno ſit quoddam vniuerſum, & abſolutum; vniuerſale autem nulli bi, præterquam in mente, ſubſiſtat; efficitur Methodum quandam mentis ipſius haberi qualitatem. Rurſus autem, cum affectio hęc vel ſit manens, & abſoluta, quam habitum vocant, vel mouens; iure Methodus ſub habitu erit reponenda. non enim, qui leuem obtinent Methodi cognitionem, Methodicos appellamus, ſed qui in ea iam ſint ſtudioſe verſati, theorematibuſque propoſitis, ex Methodo reſpondere facile poſſunt. Hucuſque igitur Methodum mentis habitum eſſe, quod & Græci ſenſerunt, intelligimus. Neque huic veritati, quæ tamquam in clariſſima luce verſatur, non ui quidam Philoſophi tenebras obducunt; dum ea ratione mentis habitum non eſſe probare contendunt: quia, nec ſcientia, nec ſapientia, nec intellectus, nec ars, nec prudentia cenſeri poſſit; hos enim ſolos eſſe Ariſtotelem Ethicorum ſexto exiſtimare ſiquidem neque animi conſtantes, & abſolutæ perfectiones eo ſolum numero concluduntur; neq; Ariſtotelis conſilium eo in loco fuit ſingulas enumerare, ſed eas ſolum; quibus animus res affirmando, aut negando, vt ipſe fatetur, illuſtrat. at Methodus huiuſmodi nō eſt, ſed ea forma, figuraue in animo inſidens, ad quam aliquid, aut docetur, aut efficitur. Talem archetypum effinxit Plato in

Philebo

Philebo his, qui dicendi artem Methodo tradere cupiunt, hunc in modum perſcribens. Quomodo ſcribere oporteat, ſi arte ſcripturi ſumus, quo ad fieri poterit, exponam. Poſtquam dicendi facultas quædam animi tractio eſt, & oblectatio, futurum oratorem neceſſe eſt, quot ſpecies animus habet, cognoſcere: hæc vero tot, taleſque ſunt, vnde tales alii, alij tales efficiuntur. His ita diſtinctis, ſermonum quoque tot, taleſque ſunt ſpecies. tales igitur animi talibus quibuſdam ſermonibus certa quadam de cauſſa ad talia quædam facile perſuadentur; aliter vero affecti aliquam ob cauſſam minime. Galenus etiam ſingularum corporis humani partium vſus veſtigare proponens ſimilem quandam formam ſibi deſignauit: Et eſt primum totius corporis munus reperire; ſecundo quo modo grandiora membra ad illud conueniant; poſt hæc vero iſtorum quoque actionem deprehendere, quaque ratione ad eam puſillæ conſpirent, inuenire; deinceps cuiuſque inſtrumenti opus, officiumùe meditari; poſtremo ex particulis, ex quibus illa coagmentantur, quænam ſit functionis initium, quæ vero ſolũ vſum quendam, vtilitatemque afferat; ſcilicet, vt apte, tutoque ſuum officium exequi poſſit, commentari. Ad hanc normam ſingula in vniuerſa ea tractatione dirigit, atque metitur. Vnde recte Quintilianus ſcribit Methodum breue eſſe compendium, ſcilicet totius operis paruam, contractamque deſcriptionem. Methodus igitur habitus ille mentis eſt, quem inſequentes ad id, quod quærimus, recta progreſſum facimus. Ex hac autem affectione non in animo ea veritas gignitur, quæ affirmando, aut negando emergit: & ob id in eorum habituum numero aliqua ratione connumerari non poteſt. Cęterum, cum in omni meditationis genere, omnique cum nobili, tum obſcura docendi uia, & ratione aluo ſint habitus, vt Ariſtoteles memoriæ prodidit, quorum alter experientia per varios ſingularium uſus reperta, alter uero rei ſcientia nuncupatur; & eſt, vt teſtabatur Plato in Gorgia, qui per rationẽ eſt comparatus, ut proinde ex eo quiſque cauſſam eorum, quæ agit, vel efficit, uel commentatur, rationemque aſſignare poſſit; Methodus profecto rei naturam, rationemq; magiſtram habuit. hinc aiebat Galenus cauendum eſſe, ne ſimul utraque & Methodum, quæ rationi innititur, & experientiam, quæ ratione non utitur, agitemus: male enim commiſceri, & confundi. inde etiam empirici probabili coniectura fatentur, nec inueniendi, nec docendi apud ipſos ordinem, uel Methodum neceſſariam eſſe: nam, neque arte ulla, rationeue experientiam niti, immo unius fortunæ fauorem ad ea, quæ quærit, inuenienda requirere: quemadmodum,

modum, qui rationem eorum inquisitionis caput statuere, ordinem, unamq; uiam, quæ deduceret, quo illi intendunt, sibi proposuerunt. Vnde Plato cuiusque rei naturam, de qua artem aliquam constituere uolumus, accurate indagandam esse præcipiebat: quia, cum Methodis connexionem consensumq; habet. Huiusce ergo rei summam colligentes asserimus Methodum eum esse mentis habitum ex rei natura comparatum, quem intuentes non aberramus, cum occultæ rei cognitionem inquirimus; siue eam solius ueritatis amorem, siue alicuius operis gratia exquiramus hoc modo finiebat Cicero esse uiam, artem, rationemq; agendi quidpiam. Quare id tamquam consectarium eliciendum, ueram, solidamque Methodum necessariam quandam constitutionem habere. quodcunque enim a rerum natura emanat, fatalem ueluti quandam consequentiam tenet. & propterea illæ procedendi uiæ, quæ uel a frequentius euenientibus, uel a cognitu facilioribus, uel a dignioribus exordiendum esse notant; quemadmodum in libro de partibus animalium affirmabat Aristoteles se prius hominis, ueluti diuinitatis participis, quam aliorum animantium particulas tractasse; nisi præterea inter se nexa, & iugata fuerint, haudquaquem intelligendi, faciendiue rectæ rationes appellabuntur. non enim ea, quę frequentius accidunt cum his, quæ raro, uel faciliora, aut digniora cum difficilioribus, minusque honestis sunt continuata, ex necessitateq; nexa. Mirabilis ergo utilitatis Methodus fructum affert. quid enim præclarum re ipsa faciet, qui aliquod opus efficere molitur; nisi aliquam illius speciem intueatur, atque eam sibi proponat exemplar? Memoriæ præterea lumen præstat: quæ enim Methodo sunt designata, ita inter se apta sunt, & cohærentia, ut uno perspecto reliqua etiam fere in mentem ueniant.

De Methodi differentijs. Cap. III.



ERVN, cum Methodus diuidua existat, non est desistendum, quamdiu ad ultimas illius species non peruenerimus. Vnde singula, quæ ab uniuersa eius natura continentur, inspectantes primæ, latissimeque patētes in conspectū se dant dissimilitudines hæ: quod nonnullæ Methodi cōmunes, quædā propriæ, & quasi germanæ existāt. Vna siquidē Methodus est, quā Galenus, ut diximus, sibi proposuit in libris de vsu partium, ad uenandos s singulos membrorū corporis humani usus. Ab hac distāt ī libris de locis affectis ad mor[...]s,

eorumq; sedes uestigandas editæ; singulisque morborum specie-bus proprias medendi methodos esse propositas idem Auctor asse uerabat. quin innumeræ fere uarijs in locis ab eo traduntur. cum enim ex natura rerum ortum trahant, pro earum uarietate dissimi les quoque illas exsurgere est necessum. Cęterum priuatæ hæ uiæ a communi quadam suum habent ortum, uniuersasque præterea rationes requirunt, ad quas ea, quæ arcte, obscureq; ab ipsis sunt proposita, fuse, aperteque explicentur. peculiares igitur Methodos proprijs quoque artificibus relinquentes, communes nunc tractandas suscipimus. In his ergo, si quæ insunt, uarietates contueamur. Duas autem primum insidere agnoscimus. quemadmodum enim ea, quæ uestigantur, uel una sunt, ut lunæ defectus; iustum natura ne, an lege potius, & institutione hominum stet; uel multiplicia, ut quæ multa præcepta, pluresq; notiones concludunt, comprehenduntque; sic duo prima genera exstant, quæsitas has res, obscurasq; aperientia. Rursus autem cum unum id, quod quærimus uel sit rei substantia, uel quod illi inhæret, accidens; inde etiam duę pariter Methodi prodeunt, Demonstrans, & finiens; hæc quidem ad rei alicuius proprias potestates breuiter, absoluteque exponendas; illa uero ad ea, quæ substantiæ insunt, cum sunt occulta, argumentis, & quasi notis quibusdam indicanda. Non dissimili ratione multis notionibus una coniunctis euoluendis, duæ uicissim rationes adhibentur. quædam enim uni rei, ueluti cohęrentes, ut ad vnum finem relatę; sicuti omnia præcepta medica sanitati insidere dicuntur, Resolutoria uocata methodo ex rei quæsitę ui, tamquam ex clarissima indice eliciuntur; quædam uero naturæ affinitate coniunctæ, alięq; ex alijs nexæ; & omnes inter se aptæ, & colligatæ certis alijs uijs exponuntur, & separantur. vna siquidem ab ea potestate, qua inter se conueniunt, incipiens seriatim ad unius cuiusque proprias progressum facit; alia autem contra a peculiari ui ad communem adscendit; tertia quædam est ex utriusque compositione facta simul, & unum, quatenus dissimilitudinem in se comprehendit; distribuens, & quæ multa sunt, quantum similia, in unum constringens. Hac igitur illæ sunt, de quibus diuinus Plato in Philebo memorabat: Vnum, ac multa rationibus idem facta omnem ubique orationem, & quondam, & nunc peruagari: quod, ut numquam futurum non est, ita nunc primum haud cœpit, sed est in hoc disputationum genere immortalis quædam, inquit, & numquam senescens, insitaq; nobis ratio. eam cum primum adolescens aliquis gustauit, secũ ipse cõgratulatur, quasi quendã thesaurũ sapiẽtię nactus, & uoluptate plenus exultat, ac furit; omnẽq; disputationẽ

prompte pertentat, atque ſermonem vndiq; diſcutit, tum quidem in alteram partem reflectens, & in vnum commiſcens; tum vero explicans iterum, & in multa diſtribuens. Proportionem ergo cõparationemque habent Methodi hæ multiplices res excogitantes cum his, quæ vnas illuſtrant. Reſolutoria enim ex rei veſtigatæ vi, tamquam ex origine agenda, conſectariaque quamuis citra ratiocinationem, colligens nullam aliam vim præter Demonſtrantem obſidet: iſtæ vero, Diuidens ſcilicet, Componens, ſimiliaq; & diſſimilia Diſtinguens, plurium rerum communione quadam inter ſe iunctarum poteſtates diſcrete explicantes; veluti multas definitiones coniunctim expromunt. Tot igitur Methodi ſpecies exiſtunt.

De Demonſtratiua Methodo. Cap. IIII.

SED eas expreſſius deſignaturi a Demonſtrandi via initium ſumemus: hæc enim omnium eſt nobiliſſima: huic, tamquam fundo, reliquæ fere innituntur. ea igitur eſt habitus intellectus ex rei natura cõparatus, quem intuentes non erramus, vbi eorũ, quę latenter ſubſtantiæ inhęrent, veritatem inquirimus. Duorum enim generum cum ſint, vt ſuperius diximus, ea vna, quæ in hominum ignoratione verſantur, rei ſcilicet vis, & ea, quæ illi inſident, accidẽtia; Demonſtratio ea eſt, quæ ſubſtantiæ inhęrentia plana facit, vt Definitio ſubiectam ipſis naturam: illa enim cum ſæpius natura in profundo ſic abſcondat, vt ex ſe animos noſtros ferire non poſſint, ratio quædam excogitanda erat, quæ ex euidentibus, perceptiſque rebus, quaſi ex notis, & ſignis, ad ea obſcura, & inuoluta nos deduceret. natura enim nobis paruas quaſdam rerum maximarum notitias, tamquam ſcientiæ fundamenta, aperuit; quibus ſine vllo animi motu, ſineq; demonſtratione ſidem adhibentes in illorum deinde cognitionem deueniamus. Vnde Academici illi, & Pyrronij, tamquam fatui, procul abigantur, qui nihil certo comprehendi poſſe aſſeuerabant. hinc æq; illi deridentur, qui de euidentibus rebus ſententiam non ſenſibus, ſed demonſtratione ferre conantur. ex quo & Democritus, quando perſpicua, apertaq; vituperabat, vbi dixiſſet, lege color, lege dulce, lege amarum; vera autẽ atomus, & vacuũ, finxit ſenſus aduerſus cogitationem in hunc modum loqui: Miſera mens, quæ cum a nobis fidem aſſumpſeris, nos deiicis; at, cum nos deijcis, tu ipſa cadis. Vnde Lucretius:

Inuenies primis absentibus eße creatam
Notitiam Veri, neque sensus posse refelli:
Qui, nisi sint ueri, ratio quoque falsa sit omnis.

CETERVM non quælibet euidentia, neque singulæ notæ pro miscue ad unaquæque declaranda conueniet. cum enim uaria, dissimiliaque sint rerum genera, sola ea, quæ ex sua ui assumuntur, velut certa, & peculiaria signa, quasique proprij termini quæsitam notionem ab uniuersis alijs separantes ad uerum nos dirigent, atque deducent. Id Plato uoluit, cum omnis inuentionis unum optimum esse initium affirmauerit rei propositę cognitionem. Id etiam passim Galenus attestabatur; caput unum fore inquiens, ad quod, tamquam ad scopum, uniuersa singularium perquisitio dirigitur; ab ipsa nempe quæsitę rei substãtia accommodatas ad rem sumptiones esse hauriendas; ut scilicet finitione rei, quæ in controuersiam uenit, explicata, ea, tamquam regula, & norma rerum omnium, quæ sigillatim erunt dicendæ, utamur. Vnde hac ratione necessariæ sumptiones ad dialecticis, oratorijs, & captiosis distinguuntur. quæ enim ab his, quæ propositæ rei accidunt, sed foris assumuntur, dialecticæ, siue locales, aut exercitatoriæ nuncupantur. quæ uero ab his etiam sunt remotiores, maximeque exemplis, inductionibus, testimonijs innitantur, oratoriæ; quod si uocabuli figuris, nominisque communibus ad fraudem callide sint concinnatæ, captiosæ dici consueuerunt. Multus igitur usus adhibendus, ut probabiles a demonstrantibus internoscamus. similitudinem enim inter se habent; ex qua Medici, ac Philosophi in magna uarietate, ac dissensione sunt constituti; dum scilicet nequiuerunt ea, quæ in sola posita sunt coniectura, ab his, quæ necessitate quadam adstricta res consequuntur, aut repugnant, intersting uere. imitantur etiam sæpe, quæ solo mentis sensu finguntur, nullamque ab euidentibus fidem accipiunt, ea, quæ necessario demonstrant. cauendum igitur erit ueritatis inquisitori ne, tamquam certa, habeantur, aut in quibus nulla possit esse dubitatio. ex quo Plato in Thimoco physicam rationem, auspicaturus, Ne memineris, inquit, o Socrates, si cum multi de Dijs, deque Mundi generatione multa iam dixerint, rationes de ijs exactissimas adferre non possim: satis enim factum putare debebis, si non minus probabiles, quam quiuis alius, rationes adducam. æquum enim est meminisse, & me, qui disseram, & uos, qui iudicabitis, homines esse; ut si probabiliora dicentur, nihil ulterius requiratis. ita etiam, quæ de anima disputauit, probabilitatem, ueriq; similitudinem habere affirmat;

ſic ſcribens: Quid igitur anima mortale, quid diuinum habeat, & vbi, & quibuſcum, & quare hę inter ſe diſiunctę ſint, diximus: at, quod rę vera ita ſit, vt diximus, ita demum aſſeremus, ſi diuinū affirmaret oraculum. quod uero ueriſimile ſit, ita eſſe, & nunc, deinceps diligentius etiam inueſtigando aſſeuerare non dubitamus. Quare mirari ſæpe Philoſophos iſtos mihi ſubit, cum ea, quæ coniectura tantum aſſequuntur, tamquam certa, & minime dubia mordicus tenent. vnde non raro uel a diuinitus relatis, vel ab euidentibus ipſis redarguuntur. Non aliunde ergo firma ueritatis opinio in animo eſt conſtituenda; quam ex euidentium teſtimonio, & conſenſu. ubi autem hæc ei fidem non fecerint, quælibet excogitatio veri ſolum conſentanea erit exiſtimanda.

In eadem Methodo exercitatio. Cap. V.



HÆc ſunt præcepta, & quaſi viæ, quæ nos ad Demonſtrationem ferent; ſed vſus his, conſuetudoq; adhibenda. hæc enim, vt multorum ingenium, artemque ſæpe vicit, ſic ne vlli vmquam, qui vniuerſas has rationes aſſidua meditatione tractare neglexerunt, ad hominum exiſtimationem latius demanarunt. Exempli igitur gratia quæſitum illud tum Medicis, tum Philoſophis peruium diſcutiendum proponamus. Eſt autem: Quanam in parte corporis animæ principatus exiſtat; animæ, inquam, quę ſenſum, quæ motū, quæ appetitum habet. in quo theoremate, vt conſtat, res quæſita eſt Principatus. Principatus autem, vt omnes conſentiunt, animæ eſt; vnde & ſenſus, & motus, qui voluntatis impulſu fit, initium exiſtit: hæc enim eſt quæſitæ rei poteſtas. Qui ergo membrum aliquod in ſe eundem principatum habere neceſſaria ratione concludere voluerit, non ex alia conficiet, quam, quod motio, quæ cum appetitu fit, in reliqua animantium membra ex eo emanet, atque in id ſenſus omnis redeat, ac reflectatur, cum autem facultatum harū diſpenſatio idonea, aptaq; quibus fieri valeat, inſtrumēta requirat; velut vitali facultati arterias natura dedit; hinc fit, vt huius quæſiti veritas, præterquam ex animalium diſectione euidentius colligi nequeat, in quibus, oculis ipſis, a quanam parte facultatum harum concepta cula, tamquam a fonte, deriuēt, licet intueri. vnde & Ariſtoteles ad probādum harum virium ſedem in corde exiſtere, huiuſmodi uſus eſt argumento; quia ſcilicet neruorum copiam in ſe habere conſpicitur. quamquam falſum hoc eſſe ab Anathomicis ipſis

ſine vlla dubitatione ſit animaduerſum, hi enim cerebrum eorum vaſorum, quæ ſenſum, & motum in omnia animantis membra traducunt, neruos appellant, caput, initiumque eſſe aſſeuerarunt. Quare ad probandum harum facultatum cerebrum, vt Hippocrati, Platonique viſum eſt, ſenſus, motuſque eſſe principium, vna ex neceſſarijs aſſumptionibus hæc erit. Quod, videlicet, ſicut arteriarum cor, ita cerebrum neruorum omnium caput exiſtit. Accommodatas etiam ad hoc oſtendendum ex euidenti illo propoſitiones hauriemus: Quia, ſicut, corde affecto, arteriarum percuſſio ab ipſo exoriens iniuriam patitur; in toto vero animanti offenſiunculam aliquam factam eſſe non apparet; ſic, cerebri ventriculis colliſis, vel vulneratis animal repente, quaſi profundiſſimo ſomno, compræhenſum arteriarum, cordiſque motu illeſo, collabitur: perſpicuum ſane argumentum ex his tamquam ex fonte, ſentientem, mouentemque vim omnem prodire. Ex morborum pariter manifeſtario teſtimonio hoc poteſt comprobari. nam, ſi cerebrum in morbo ſit, ſenſus, motuſque priuatio ſubſequitur; ſi cor laboret, nil huiuſcemodi euenit; ſed ſyncopen vitalis facultatis affectum, eius incommodum excipit. Cæterum, quia Ariſtotelis aſſeclæ ſuis ſententijs addicti, & conſecrati, vt ipſum tuerentur, (etſi inepte admodum; cum hæc eius minime fuerit opinio) aſſeruerunt, cerebrum, quamuis omnium neruorũ origo ſit (hoc enim rei euidentia fateri coacti ſunt) vim tamen, facultatemque ſentiendi, ac mouendi a corde accipere, vt quaſi magni regis prę fectus ſecundam quandam, non primariam obtineat originem. Huius etiam rei cognitio ex apertiſſimis in anatomicis adminiſtrationibus obſeruatis perſpicue prometur. ſiquidem, arterijs omnibus (facultatis enim vniuerſæ a corde prouenientis ſemitæ ſunt) ad caput tendentibus laqueo adſtrictis, arteriarum tantum motus ſupra compreſſionem exiſtentium ſpoliatio, nulla autem prorſus ſenſus, aut motus voluntarij lęſio eueniet: quam tamen, ſi quẽadmodum arterijs pulſum, ita & ſentientem, mouentemque ex voluntate cor cerebro impertiret, conſequi eſſet neceſſe. Hæ ergo ſumptiones omnes, quia mouentem ſentientemque vim totam a cerebro prodire demonſtrant, iure ac merito neceſſariam conſecutionem efficiunt: a quæſitæ enim rei natura, nempe Principatus, ſuum duxerunt ortum; prætereaque apertæ ſunt, ante oculoſque poſitæ. contra vero Peripateticorum rationes, & quia a quæſitæ rei natura, & quia ab euidentibus non aſſumuntur, ineſficaces, falſæque deprehenduntur; quemadmodum, exempli cauſſa dum tali vtuntur argumento: Vnde principium alimenti eſt, ibi

quoque

quoque animæ principatus ; in corde alimenti principium est, ergo & animæ principatus . quælibet enim harum assumptionum inanis existit: nam , dum inquiunt . Vbi principium est alimenti, ibi quoque est animæ sentientis, & mouentis principatus . hoc tamquam falsum inficias imus : quinetiam , cum sit ex se obscurũ, quomodo alijs lumen, claritatemque adferet? insuper assumptum hoc a perspicuis reuincitur . nam iecur altricis facultatis esse principium , cum omnium venarum sit initium , re ipsa conuincitur, tamen nec ipsi,nec quiuis alij vmquam sensus , aut motus principium esse asseuerarent . Redarguemus necnon alteram propositionem . In corde nempe nutritionis esse principium : quæ cum itidẽ sit suspiciosa , qua via rem dubiam, manifestam, apertamque faciet ? præterea , cum hoc in controuersiam cadat , ipsi nihilominus quæsitum tamquam concessum assumunt . pari etiam ratione dum tale adstruunt argumentum : vnde spiritus suppetit, ibi animæ est principium ; ex corde autem suppetit ; in corde ergo animæ primę existunt . Dum , inquiunt , spiritum ex corde prodire ; si animale ipsum intelligunt, idipsum , quod in quæstionem venit, assumũt; si vitalem , nulla est illatio . En igitur quo pacto a recto tramite, nempe a quæsitæ rei natura , ab euidentibusque deflectentes,perinde ac cocci , longius a veritate recedunt . Quodcumque ergo extra hanc rationem accipitur , inane , & a proposito alienum existimari debet.

De finitiua Methodo. *Cap. VI.*



SED finientem Methodum prosequamur ; cuius singnlaris vtilitas, eximiaque pulchritudo in eo elucet, quod quæuis . inueniendi , ac docendi recta via ex definitione originem ducit : non enim diuidere, non componere, non resoluere, nec quę similia sunt, vnire, distinguereque dissimilia, neque demonstrare tandem citra hanc Methodnm valemus; vt propterea in re omni disquirenda a quæsitę rei natura, quę finitione exprimitur, semper inchoandum esse Plato existimauerit . At vniuersam illius vim explicantes, asserimus habitum esse mentis ex rei natura comparatum ; quem imitamur ad rerum inuolutas notiones euoluendas . Verum quid per notionem est intelligendum ? notio est insita ea , & ante percepta cuiusque formę cognitio, quę alicui verbo est subiecta, enodationis indigens. homo enim exempli gratia, nomen est confusam quandam intelligentiam significans,

ſignificans, quam de eo verbo omnes habemus. hanc igitur in ſingulas, ſimplicesſque illius poteſtates diffiniendo diſſoluimus; per definitionem enim minimæ, elementareſque definitæ rei cognitiones ſic diſtinguuntur, vt & diſcrete, & coniunctim propoſitæ illius perfectam, abſolutamque ſcientiam apportent. ſi ergo per finitionem vniuerſam rei uim. & ſpeciem comprehendimus; per formam autem res vna vi, atque vna conſenſione naturæ ſunt conſtrictæ; ſequitur ea tantum, quorum eſt vna naturæ ratio, poſſe finiri. vnde non vna definitione deſcribuntur, quæ non vnam habent ſpeciem, licet vno nomine notentur. ſic Ariſtoteles aiebat: ad tollendam finitionem nos argumentari poſſe; ſi plurium rerum quæ vno vocabulo appellantur, vnam definitionem quiſpiam aſſignauerit. alibique, ea, quæ ex diuerſis connexa ſunt intelligentijs, definiri non poſſe aſſeuerabat; quemadmodum Album. Albũ enim, cum & albedinem, & corpus in diuerſis rerum attributis exiſtentibus deſignet, haudquaquam finiri poteſt. ſiquidem, quæ ab eo notantur, ad vnam quandam vim, & ſignificationem reduci nequeunt: ſeparatim igitur finienda veniunt. Quod, ſi notio aliqua ſit, cui neceſſario aliquod alterius generis commiſcetur; quemadmodum fœminæ cognitio; quę non, vt Albedo ſine corpore, ſic & ipſa ſine animali finiri poteſt. huiuſmodi quidem definitur, ſed quadam ex parte, & per additamentum, vt Ariſtoteles aiebat: non enim in totum illius vis per ea, quę inhęrent in rei natura, exprimitur; ſed per ea, quę foris inſunt, deſignatur, perinde vt acccidentia puręque res, vt anima quæ ex his, quę ipſis ſunt ſubiecta, deſcribitur. Rurſus, ſi hęc notio, quę definitur, eſt plurium intelligentiarum coniunctio, & confuſio, ſequitur ſolitarius, ſimplicesſque res proprię non definiri; cuiuſmodi ſunt ſumma rerum genera: ſolam enim, apertamque poſſident ſignificationem. vnde nullum errorem, nullamque perturbationem animis afferre poſſunt; ideoque nullam Methodum, nullamque intelligendi vim expoſtulant; nec item indiuidua in eo, quod indiuidua non enim propriam aliquam habent vim, quę finitione indigeat. ea propter Ariſtoteles aſſeuerabat finitionem non ſecus, ac Demõſtrationem vniuerſalium eſſe. ſolius igitur ſpeciei, ſiue generis, modoùe alijs ſubijciatur, eſt definitio: hæc enim ex communi, & propria quadam notione, quę genere explicantur, & differentia coagmentantur. Cum ergo quorum ſit finitio, iam pateat, reliquum eſt, vt artem, ſeu fines, & ſcopos proponamus; quos intuẽtes in conficiendis definitionibus non aberrabimus. Quoniam igitur cognitionis gratia definitiones aſſignantur, oportet, vt te-

ſtatum

ſtatum reliquit Ariſtoteles, verbis vſitatis, proprieque demonſtrantibus ea, quæ declarare, & ſignificare volumus, vti: vnde ab ambiguis nominibus eſt abſtinendum: multiplex enim eorum poteſtas animum æque in ancipitem ſenſum diſtrahit, hærentem quæ reddit. ſimiliter, ſi ab eo, quod eſt definiendum, plura ſignificentur, qua ſignificatione vti velimus, indicandum. vitanda etiam ſunt translata nomina ob eandem rationem; ſi coram calumniatoribus, litigioſiſq; eſt ſermo: huiuſmodi enim ob eorum ambiguitatem facile eo trahi poſſunt, quo quiſque contradicens velit. ſed, quod ad rem ſpectat; cum Definitionis propoſitum ſit rerũ poteſtates ante permixtas, & confuſas exponere, inde conſequitur in germana, & quaſi legitima definitione ſolas rerum formas conuenire: nil enim niſi iſtarum pulſu percipi, cogitariq; poteſt. ex quo liquet materiam, vt etiam teſtatum reliquit Ariſtoteles, ad definitiones non aſſumi: rudis ſiquidem, informiſque exiſtens nullas imagines, nullaq; ſimulacra excitat, animoq; obijcit. Cum igitur vnæquæq; res & per communem, & propriam formam, quæ genere explicatur, & differẽtia proprias obtineat poteſtates; iure hæ ſingulorum vim exprimendam erunt accipiendæ. Id eſt, quod Ariſtoteles aſſeuerabat: Oportere eũ, qui finit, in genere ponentẽ differentias adiungere: his. n. quaſi terminis, circunſcribitur quęſita natura, ab alijſq; ſeparatur genere enim a ceteris, differentia vero ab his, quæ ſub eodem genere continentur, diuortiũ facit. Vnde efficiens, & finis, ſi res perfectæ, abſolutæq; deſcribuntur, apponi non debẽt: nam ſic aliquid redundaret: inſita enim rei principia ſola poſſunt vniuerſæ rei vim exacte explicare; vt etiam affirmabat Ariſtoteles. Verum, ſi eorũ, quæ gignuntur, natura perſcribitur; optima, Galeno auctore, ea cenſetur definitio, quę cauſſam complectitur efficientẽ. ſic Ariſtoteles vocem deſcribens, aeris eſſe percuſſionẽ aſſeuerabat: Galenus Dolorem eſſe triſtem ſenſum. Sed quodnam genus in finitione eſt collocandum? ſi formas omnes rei vim conſtituẽtes ad definiendum neceſſarias eſſe recte oſtendimus; operepretium eſt proximum genus in ea collocare: qui enim proximum dixit, omnia ſuperiora intellexit; ſiquidem ea de inferioribus dicũtur. Quare aut proximum genus apponendum, aut differẽtias omnes, per quas illud finitur, numerare oportebit; quod maxime, dum proximũ genus erit innominatum, faciemus. huic autem generi, vniuerſaliq; formæ propriam addimus poteſtatẽ: hac enim illa contrahitur, ad peculiaremq; finiti notionẽ adducitur. ſi autem vltimæ, propriæq; notiones apertæ, planæque eſſent, non æque facilis in finiendo eſſet lapſus; verum, quia plerumque deliteſcunt, quæ il-

lis adhærent, accipere coacti, hæcque communibus consimilia, in falsam nos alliciunt opinionem. scopos igitur tenere oportet, quos intuentes a recta via non decedamus. sed qua ratione differentię inueniantur, Diuidenti Methodo relinquentes, id nunc solum, quod Finitioni proprium est, attingemus. non enim omnes, quæ ad Diuisionem, itidem ad Definitionem conducunt. nam, cum solæ illæ ad finiendum sint aptæ, vt Plato in Sophista est auctor, quæ generi additæ speciem constituunt, ob id ea differentia, quæ genus negatione diducit, Aristotele teste, nisi priuatio definiatur, rei naturam nequit describere. nihil enim, quod sit, negatio constituit. neque differentiæ, quæ secundum membra, speciesque interdum accipiuntur, vt dicemus, de Methodo Diuidente agentes, in Finitione sunt assignandæ: idem enim, quod stultum est, per idem describeremus. reliquæ igitur, quæ nempe contrariæ opponuntur, aut ex habitu, & priuatione venient assumendæ. sed in his illud obseruandum, in quo sæpius errare contingit; quod, etsi eadem differentia, quæ in Finitione assumitur, alterius sit generis, quod velare definita contineatur, vel eam contineat; superuacaneum tamen est aliquid aliud Finitioni addere: gressibile enim animal, & volatile, & si bipedem pro differentia habeant; hæc tamen vna in vtroque genere apta est, vt Aristoteles memoriæ prodidit, ad eorum species constituendas. Animaduertendũ præterea, ne plures, nisi opus fuerit, in Finitione ponamus differentias; vt in Hominis ratione præter rationale, scientiæ capax: nam &, eo ablato, reliqua oratio propria est, abundeque rei definitæ vim exprimit: vnde redundat, quicquid adiungitur. potissimum si ex diuisione eius rei adiiciatur, quæ finienda venit. sed hæc regulæ, & aliæ, quæ passim proponuntur, in enumeratis continentur. vnus enim maxime patens est scopus, ad quem animũ intendere oportet, ne quid absit, quidue redundet, sed veluti circulus, finitum, finitioque, vt aiebat Aristoteles, ad se inuicem conuertantur. Hactenus ergo, quale genus, qualisque differentia in Definitione asciscí debeant, satis explicatum velimus. sed qua ratione genus proximum, differentiasque venabimur? porro, cum obscuritate inuoluta naturæ lateant, non alterius rei, nisi Methodi, auxilio euoluentur. Hinc Plato, Aristotelesque Dissolutoriam, & componentem Methodum ad conquirendas definitiones maxime necessarias esse tradiderunt: quamquam Plato Diuisionẽ, Aristoteles vero Constructionem prætulerit. sed vnicuique sua est virtus: facilius est enim Definitionem Componente Methodo indagare, quam Diuidente: nam ab euidentibus, quippe indiuiduis,

duis,

duis, ſumit initium. at Diuiſio per generum differentias commodiſſima eſt ad ſumendum, quod per ſe, & vniuerſaliter dicitur: ordine enim quodam incedit, quaſi gradatim incernendo, & ſeligẽdo, quæ per ſe adſint. verum id efficere nemini licet, niſi cui animus ex multa meditatione vniuerſis, communibuſque rerum ſummis iam aſſueuerit. ſed quo pacto per Diuiſionem Definitio exquiratur ex noſtro progreſſu in Methodi natura indaganda patere poteſt. Quare illud vnum relinquitur, vt Compoſitiuæ Methodi vſum hoc illuſtremus exemplo. ſi ergo Hominis finitionem hac via conſequi in mentem venerit, neceſſarium erit, vt quæcunque humanis indiuiduis per ſe inſint, ad eiuſque conſtituendam naturam conueniunt, acriter intueamur; cumque & per ſe ſubſiſtere, & corporea, animataque tum vegetali, tum ſentiente anima eſſe repererimus, hæc quibus cum aliis conſenſum habent, generis loco ſtatuemus; ſicque aſſeuerabimus Hominem ſubſtantiam eſſe corpoream, animatam, ſentientem: vel communem tantum illam proximam naturam, in qua reliquæ etiam continentur, aſſumentes, animal eſſe deſtinabimus. rurſus autem nobiſcum quęrere oportebit, quid ijs ſolis conueniat, per quodque ſuam obtineãt poteſtatem; id enim differentiæ nomine inuento iam generi ſubijcietur. vnde, cum ratio ita hominibus inſit, vt non ceteris animãtibus; hæcque ſit eorum vis, & poteſtas, illam animanti annectẽtes Hominis huiuſmodi conſtituemus definitionem, Animal, ſcilicet, rationale. nec diſpar ratio in generibus, quę in alias ſpecies diſtribuuntur, finiendis erit inſequenda. primum enim ſpecierum omnium definitiones ſub eo genere iacentium promentur; ad idque, quod omnibus eſt commune, mens origitur; vt ſi, quid ſit linea inquirere voluerimus, cum has ſpecies complectatur, rectã, circumductam, curuam; linea autem recta longitudo ſit citra latitudinem, cuius puncta media non prominent ab extremis; Circumducta vero longitudo citra latitudinem, ad cuius ſummum lineę omnes a centro ductę ſunt pares; Curua pariter longitudo citra latitudinem, flexuoſa; in omnibus hiſce definitionibus, quoniam longitudo citra latitudinem, vt quiddam commune ponitur hoc erit reponendum: rurſus deinde inſpectandum, quęnam alię notiones eius naturam conſtituentes illi inſint, & quoniam Quantum eſſe perſpicitur, hoc ſumendum erit, & cum communi illo, quod in ſpecierum omnium finitionibus comperimus, annectendum; ſicque erit tota lineę definitio, Quantitas citra latitudinem longa.

De Resolutoria Methodo. Cap. VII.

SED Resolutoriam Methodum aggrediamur, quæ, etsi multiplicem, ancipitemque habeat potestatē, nunc tamen reliquas, vtpote sub alijs Methodis contentas significationes relinquentes hoc nomine eum solum mentis habitum intelligimus, quo duce a rei quæsitæ natura consequentia sine ratiocinatione, sineq; experientia elicimus. sic enim, cum rei natura nonnullæ notiones, præceptaùe necessario cohærent, vt ea dilucide proposita hæc quoque nullo fere animi motu, tamquam consectaria in mentem veniant. continuo exhauriunt, & Empirici ex aliquo facienda; hoc siquidem illud consequi affirmant, vel anteire, aut cum eo consistere, sed non tamquam ab eo indicata, neque veluti ei, quod sumitur, consentanea. vnde iure illorum artem memoriam solum, obseruationemque appellitant. sic etiam qui ratiocinantur, quibusdam positis, alia pariter vtpote consequentia subijciunt. verum hæc inter se ratione quadam, diligentique, & considerata excogitatione connectunt: proportionem ergo, similitudinemque habent cum euidentibus, quæ a rei natura indicantur, nulla siquidem commentatione fere, nulloque intimo sermone in ueritatis lucem proferuntur. quamuis enim, vbi ea confusa, obscuraùe exstiterit, reliquarum uiarum auxilio ad elementares, minimasque illius notiones progressio, uelutique reuersio fiat, ex quo forte nomen inuenit. ubi tamen hæ puræ, & ab alienis notionibus secretæ animo repræsententur, nullo alio artificio insequentes intelligentias ostendent. magna ergo est huius Methodi uis, ut quæ mentibus nostris quasi ingenerata, resque occultas, & inuolutas necessario demonstrans omnis inuentionis, cuiuslibetque artificij fons, & seminarium exiſtat. unde neque in eo posita est huius uiæ potestas, uelut plurimi censent, quod rem quæsitam in simplices notiones, quibus definitur, uel effectus in caussas, aut totius in partes, compositumue in elementa distribuat: hoc enim illi, quasi extrinsecus accedit; sed id summum illi bonum est, velut ad quod est affecta a rei natura uestigatas notiones haurire. Huic autem contraria ratione progrediuntur, qui arte aliquid efficere contendunt; ab ultimis enim inuentis per reso-

resolutionem incipientes gradatim ad reliqua agenda procedunt. At iam huius huius viæ exempla subiungamus. Si ergo oratoriam artem Resolutoria Methodo inquirere voluntas fuerit, ex illius natura, quæ est scientia mentes hominum ad oratoris sententiam alliciens, ex eoq; quod animi varijs eorum affectibus, quasi impulsionibus, flectuntur, commutanturque eliciemus omnes animæ affectiones, scilicet amorem, odium, iracundiam, spem, lætitiam, timorem esse tenendas: & quoquisque impetu incitetur; singulas adhæc orationis species, quibus huiusmodi affectus excitari possint. ea ratione, si putridæ febris rectam curandi facultatem assequi cupimus, ex illius potestate, quæ est igneus calor ex putrescentibus humoribus exoriens, facile nobis se suggeret, ob calorem esse refrigerandum; ob uero putridos humores, cum hi partim ex toto corrupti, partim semimali, semiputridique existant, eos, qui prorsus putruerunt, tamquam a natura penitus alienos, e corpore esse exturbandos: quos vero externus calor non penitus corrupti, ad naturalem constitutiouem esse reuocandos. qua autem ratione id fieri debeat, putredinis æque natura aperte sine aliqua meditatione significat. hæc enim cum sit corruptio quædam in humido facta ab alieno calore, declarat aduentitiam humiditatem, quæ est putredinis materia, esse absumendam; immoderatum vero calorem refrigeratione temperandum. præterea, cum eos natura concoquere, & ad amicam qualitatem conuertere possit, excitandam, confirmandamque esse eam facultatem, cui id munus obuenit, caussam quoque putredinem efficientem, si etiam num maneat, esse tollendam quis non videt? ea autem, cum transpiratio sit præpedita, huic pariter, si viarum interclusio impedimento fuerit, uasorum oscula erunt aperienda. unde, si multi humores eam efficiant, inaniendi; si crassi, attenuandi; si lenti, detergendi. quin, si aliqui ad ea obturanda etiamnum confluent, reuellendos, retrahendosque, facile animis nostris obijcietur.

Hi ergo sunt scopi, quos rei quæsitæ uis ostendit; quosque ad curandam putridam febrim intueamur, ne aberremus, oportet. Si ergo ei medicinam facere uoluntas fuerit, primo concurrentes ad uasorum ora succos reuocabimus; dehinc multos exhauriemus; crassos attenuabimus; lentos detergemus: tum inde vim concoquentem firmam faciemus; extraneum calorem refrigerabimus, alienumq; humorem delebimus; post hæc vero corruptos prorsus humores e corpore eijciendos curabimus. vltimũ autem propositum erit, quod primũ inuenimus, febrilis caloris extinctio.

ſtinctio. Sed, cum in Reſolutoria Methodo frequens, multuſq; ſit Galenus, nõ eſt, ut pluribus exemplis eam illuſtriorem facere tentemus: ad libros enim de differentijs, cauſſiſq; morborum de locis affectis, de tuenda ualetudine, de curandis morbis ſe recipiant hi, qui huius uiæ multas imagines plane, dilucideque cupiunt intueri.

De Diuidente Methodo. Cap. VIII.

RESOLVTORIAM Methodum conſequitur Diuidens. hanc Plato ad artes conſtituendas, ad finitioneſq; conficiendas peræque utilem eſſe prodidit, ut illius ueſtigia, uelut cuiuſdam numinis eum inſequi aſſeueraret, qui unum, & multa pro rerum natura perſpicere poſſe cognoſceret. ſed neque difficultatem excellentia, utilitaſq; aliqua ex parte exſuperat; ut propterea idem ſcripſerit nullam uiam hac ſibi uideri pulcriorem, neque eſſe poſſe; quam ſemper dilexit; at ipſum ſæpe fugere, deſertumq; inopemq; relinquere. De hac igitur agentes aſſerimus eſſe eam intellectus manentem affectionem, ad quam in unam aliquam naturam collectas notiones cogitatione diſtinguimus. Quamuis ergo plures ſint huiuſmodi notionum coniunctiones, confuſioneſq; ut ſpecierum, partium, aſſidentium, ſubiectorum, nec non etiam cauſſarum, quæ ad unum effectum gignẽdum conueniunt; multæq; ob id diuidentes rationes; ea tamen ſola, quæ plurium ſpecierum communionem diſſoluit, artem, præceptaq; expoſtulat, quibus communita & apte digerere, & fidem ad cõſtituenda ea, quæ affirmat, auctoritatemq; ſibi aſciſcere queat. penes enim reliquas nulla uis, nullaque eſt exiſtimatio: ſed quicquid momenti, ponderiſq; habeat, id totum euidẽtium uel eorum, quæ demonſtrata ſunt, teſtimonio conſequuntur. quædam igitur potius enumerationes habentur, res alibi diſperſe, diffuſeq; probatas ſummatim, diſtincteq; enarrantes, quam quod ſponte ſcientiam aliquam, cognitionemque pariant. Optimæ ergo Diſtributionis principium, cum Diuiſionis propoſitũ ſit, ut diximus, plures ſpecies naturæ conſociatione confuſas ſecernere, illud ſane erit, quemadmodum Plato monuit, ut eius communitatis ſubſtantia, ueluti q; termini conſtituantur: ſic enim in perquirendis ſuis cuiuſq; finibus, non extra proprium campum excurremus, neque latius, quam diſtribuendæ rei extrema poſtulent, euagabimur. Poſtquam autem unum illud commune perceperimus, non prius, perinde ut in Ciuili admonebat Plato, deſiſtendum eſt, quam diſſimilitu-

militudines omnes in ijs,quæ ab ea concluduntur, inſpexerimus. Verum,ne decipiamur, attendendum eſt:cum enim multorum generum varietates ſæpe coeant,non ſunt ſimul omnes exquirendæ, ſed hæ ſolæ, quæ in rei natura inhęrent: illæ enim vnæ conſtitutæ ſubſtantiæ,quaſi partes,præſcribunt. ad hæc ergo deligenda diſcrimina, ea erit optima lex,ſi inquiſierimus, his ſpeciebus quibus inſint,ſemper ne inſint. etenim ſi vel re,vel ratione ſeiungantur,eius generis non erunt, quæ vniuerſæ illæ naturæ ſpecies producant. quod ſi nec re,nec ratione diuelli queant, rurſus peruestigandum, an ſint naturam,ac vim rerum conſequentes, an potius natura, &, vt aiunt,eſſentia ipſa: cum enim dicimus ineſſe homini percipiendæ grammaticæ poteſtatem,poteſtas hæc ab homine præter ipſius corruptionem neque re ipſa,neque cogitatione ſeparari poteſt. attamen non idcirco hominem eſſe, quoniam hanc habeat facultatem; ſed quia rationalem,aſſeueramus. Quæ igitur rerum conſtituunt naturã, in Diſtributionibus ſunt aſſumendæ. ſi tamen contingat,quod ſæpe euenire ſolet, quod nobis vel innominatæ ſint, vel ignotæ; tunc ad propria accidentia,effectuſq; rerum poteſtates conſequentes,veluti ad proprias notas, confugimus. Sic volatile animal in totipenne, & ſciſſipenne ſoluimus. pariter equum a ceteris animantibus,quia hinnibile,diſtare dicimus. Præterea, vt Diuiſio ex neceſsitate ſequatur,neque ſit ijs,quæ condonari petuntur, conſimilis,operepretium erit,eodem Ariſtotele auctore, has differentias inter ſe eſſe pugnantes: tunc enim neceſſe erit ſingula ſub altera ipſarum comprehendi. Verum, cum quatuor ſint contrariorũ genera,vnam eorũ, quæ ſub eodem genere poſita plurimum differunt,vt ſapientia,ſtultitia; aliud eorũ,quę priuantia appellãtur, vt humanitas, inhumanitas; quædã negantia dicta, vt eſt, non eſt; vltima vero, quæ cum aliquo conferuntur, vt duplum, ſimplum; hoc poſtremum,quo res conſentiant potius, quam diſſentiant, longe,retroque eſt ponendum. ex reliquis autem,quæ aduerſa nominantur, apte, congruenterque Diuiſionem efficient, ſiquidem vni generi ſubijciuntur,maximeque diſtant. per hæc ergo, dum ſuppetet copia,erit conficienda partitio. Quod ſi in gemina ſecare non valemus,per membra inſtar victimæ, vt in ciuili memoriæ prodidit Plato,diſcerpere poſtmodum haud erit incongruum. Differentijs autem adinuentis,ratio diſpoſitionis poſtulat, vt communiores primo,minus communes vero poſt ipſas collocemus. vt, ſi, exempli gratia, in corporibus omnibus hęc inſpexerimus diſcrimina, animatum,inanimatum; ſenſibile,inſenſibile; rationale,irrationale; clariſsimum eſt,cum animatum, & inanimatum pluribus inſint

prima ſerie,ſecunda ſenſibile,& inſenſibile,tertia rationale, & irrationale,quæ de paucioribus dicuntur, repoſitum iri. hac enim via tendentes,ſcopulos,in quos ſuæ ætatis ſapientes prolapſos eſſe aſſeuerabat Plato,declinabimus. vnum enim in multa nec velocius, nec,quam decet,tardius inducemus; neque poſt vnum infinita interim media deflectentes continuo inferemus, conſueuerunt alias grauiſſimi viri in qualibet oppoſitione digniores differentias initio recenſere. vnde & ex aduerſis quæ perfectior eſt, & habitus, pariter & affirmatio primam obtinebunt ſedem. ſic dicimus inter extremos colores alium album eſſe,alium nigrum; ex animalibus aliud ratione præditum,aliud expers: de numeris item quendam primum,quendam non primum. qubus hunc in modum ſtatutis reliquum eſt, vt quoaduſque in Diuiſione facienda eſt progreſſio,modum explicemus: nec enim in ſuperioribus generibus conſiſtendum,nec ap priuatas proprietates attentos infinita congerenda. Vt ergo voluit Plato in Philębo, certum numerum prius oportet accipere,quam in infinitum porrigatur; tum demũ vnum quodlibet abeuntium in infinitum dimittere. tunc autem verum numerum aſſequuti fuerimus,ſi neque plures ſpecies, neque pauciores,quam ſub eodem genere ſint, fuerimus complexi; vt Diuiſio,non ſecus ac Diffinitio in ſeipſam conuertatur. Sciemus inſuper ad ſpecies vſq; poſtremas in Diuiſione fuiſſe peruentum, dum diligenti examine nullam eius,de quo ſuperius attigimus, generis differentiam in contentis ſub ipſis reperiri obſeruatum fuerit. Hiſce igitur fidis tamquam emblematibus recta venit obſignanda Diuiſio.

De Compoſitiua Methodo. Cap. IX.



EX his, quæ de Diuidente Methodo diſſeruimus, facile eſt, quæ ad Componentem illi e regione poſitam attinent,declarare. Hæc igitur habitus eſt intellectus,quem imitantes probe,contra, ac in Diuiſoria, diffuſas notiones ſub vnum aſpectum ſubijcimus. ſunt enim,vt diximus, hæc,quæ diſperſa ſunt, & diſſipata in anguſtum contrahenda, totaque rei natura in vnum colligenda, ſi vlla earum ars eſſe debet,ſique aliquam ex earum cognitione percepturi ſumus vtilitatem. id eſt, quod Plato in Phædro his verbis expreſſit. Soc. Mihi videntur ſane cetera per luſum reuera eſſe dicta. Sed ſi quis duarum harum ſpecierum; quarum modo forte

fortuna

fortuna mentionem fecimus, vim ipſam arte poſſet comprehendere, eſſet non iniocundum. Phæ. Quarum ſpecierum? Soc. vt ſcilicet in vnam idæam, formamque intuens ea, quæ multifariam diſperſa ſunt, cogeret, quo ſingula definiendo planum faceret, idẽtidem quicquid docendum ſuſcepiſſet; quemadmodum nos in præſentia de Amore agentes, cum definiuimus. quod ſiue bene, ſiue male dictum ſit, dilucriditatem tamen, & conuenientiam attulit orationi. alteram vero vt e contrario ſecundum ſpecies poſſit articulatim pro rerum natura res ipſas diuidere, neque inſtar mali coqui frangere membrum aliquod, aggrediatur. His igitur vijs prætermiſſis, tamquam manifeſtis, quæ partes, aut elementa connectunt, illius tantum formam aſſumimus declarandam, quæ ſpecierum multitudinem ad pauciores, poſtremo ad ſingulas contrahere docet. Quod Plato declarare cupiens commentabatur in Ciuili. Quemadmodum vbi multorum perceperimus communionem, non prius deſiſtendum, quam differentias omnes in ea, quæ ſpeciebus clauduntur, inſpexerimus. ſic quoties diſſimilitudines plurimas in multitudine ſentimus, & egre ſentimus, non prius ab hac aſpectus moleſtia deſiſtere oportebit, quam cuncta, quæ cognata ſunt, intra cognationem vnam, proprietatemq; concludentes, vnius generis eſſentia veſtierimus. Contrario igitur modo, ac in Diuidente genera erunt diſponenda; nimirum a minus communibus exordiendo, ſenſimque, & ſenſim ad magis cõmunia, quouſque ad ſummum earum genus peruenerimus, progredientes.

Compoſitiuæ Methodi vſus. *Cap. VIII.*



VOD vero nunc diximus, veluti paullo obſcurius, minuſque vſitatum, litterarum præclariſſimo exẽplo coniectemur cum Platone in Philębo. Soc. Poſtquam infinitam vocem cogitauit ſiue Deus aliquis, ſiue homo diuinus, qualis apud Ægiptios Theut fuiſſe fertur, primo in ipſa vocis infinitate uocales litteras conſiderauit, quæ non vna, ſed plures ſunt; rurſuſq; alias, quę non voces, ſed ſoni participes eſſent; atq; harum numerum certum ſimiliter diſtinxit earum, quas nunc mutas vocamus; poſtremo liquidas, mutaſq; diſcreuit æq; ad ſingula quædam, vocaleſq; & medias eodẽ modo, donec earũ numero in ſingulis ſpeciebns, & in vniuerſis reperto elementa vocauit; cumque videret neminem noſtrum horum quicquam ſeorſum percepturum, niſi vniuerſa percepiſſet, hoc, velut vinculum vnum quiddam exiſtens, & in vnum diſper-

ſa redigens meditatus quam vnam in his eſſe artem Grammaticen animaduertit, eo nomine appellauit. En igitur quo pacto in Conſtituente Methodo ab infinitis ad ſpecies, ex his ad genera tandem ad ſumma rerum capita deuenimus. De Methodo itaque, quæ per Compoſitionem conflatur, hactenus.

De Methodo, qua ſimilia vnimus, diſſimiliaque diſtinguimus. Cap. XI.



ISCE Methodis Diuiſiuæ nempe, & Conſtructiuæ maxime affinis eſt illa, qua ſimilia coniungimus, diſtinguimuſque diſſimilia. Quinetiam, ſi accuratius rem perpendamus ſuperiores huius tertiæ fere ſunt elementa. nam, dum diſſimilitudines plures in vnam cogere tentamus ſimilitudinem, perinde eſt, ac ſi differentias ad quoddam ſuperius genus redigamus: item, dum quæ eandem gerunt ſpeciem, quonam pacto inter ſe diſtincta ſint, indagamus; quid aliud, quam vniuerſæ naturæ partionem, molimur? id eſt, quod Galenus etiam in Hippocratis ſextum de morbis vulg. enarrabat. quo in loco diuinus Hippocrates tradidit hanc eſſe viã, quam deinde poſteriores Methodum nuncuparunt, ex qua vniuerſæ inſtituuntur artes, & recte inuentorum, & factorum probatio eſt, non recte autem ſe habentium redargutio. Hæc ergo Methodus ea eſt ſpecies, figuraue in animo inſidens, ad quam ſimiles notiones copulamus, diſſimiles vero ſecernimus. Vnde magna eſt huius viæ vtilitas, opportunitasq;: vbi enim multiplices ſpecies, indigeſtæque animo obuerſantur, is ſæpius ancipiti cura diſtrahitur, a rerumque ſimilitudine in alienam eius cogitationem allectus non eo, quo expedit, ſenſum refert, & intelligentiam. Hinc Philoſophorum, & Medicorum diſcordiæ emanant, dum, quæ ſimilia ſunt, inter ſe nequeunt adſtinguere. ſic Plato in Phædro aſſeuerabat ſimilitudinem, diſſimilitudinemque rerum optime perſpectam magnam vim habere; & vt ne fallaci concluſione ab alijs capiamur; vtque alios captioſo concluſiones genere fallamus. in Philæbo autem; Niſi, inquit, id circa quodlibet vnum ſimile, idem & contrarium obſeruare queamus, nullus umquam noſtrum vllius erit ad aliquid pretij. Ad inductiuas præterea rationes, finitionesque venandas vtilem eſſe tradidit Ariſtoteles

quodnam

quodnam igitur erit principium, quo propositum assequi optime possimus? nullum sane præter id, quod nos edocuit Plato his verbis: Numquid potest aliquis singularum rerum, ignorata veritate, similitudinem eius, quod ignorat, vel paruam, vel magnam in alijs discernere? nequaquam potest. Quæsitæ ergo rei veritas, quo earum, & similitudinem, & dissimilitudinem apprehendere valeamus, indaganda: quis enim duarum, aut plurium comparationem facere potest, si eorum nullam; aut obscuram habeat cognitionem? Veri autem inueniendi via nulla prorsus est, quam quæ ab Hippocrate de officina Medici fuit proposita, sic inquiente: similia ne, an dissimilia sint a principio ex maximis, facillimisque percipi potest: ex ijs vtique, quæ ab omnibus ubique cognoscuntur, quæ videri, audirique possunt, quæ visu, naribus, lingua, mente sentiuntur. sensus enim, aiebat Epicurus, veri sunt nuncij: natura siquidem eos homini, tamquam interpretes, attribuit, ac rerum internuncios; illisque plurimas intelligentias, quasi fundamenta quædam scientiæ, aperuit. A maximis igitur non, facillimis autem cognitu incipiendum; deinde paullatim, sensimque ad nobis occulta, ignotaque progrediendum. Ceterum, quia in his, quæ parum, non quæ multum differunt, aberramus, præstat, vt Aristoteles monebat, ea quæ ualde inter se discrepant, priora aggredi; facile enim apparent eorum distinctiones, & similitudines; deinde ad reliquorum examen accedere. Hac ratione Hippocrates in Præsagijs præsagientium locorum dignotionis principium ab his, quæ naturalibus maxime contraria habentur; eo quod sint & maxima, & cognitu facillima, desumere uoluit.



Eiusdem Methodi vsus. Cap. XII.

IN huius autem viæ vsum, & exercitationem primũ omnium Plato, cui in frequentem consuetudinem venit luculẽtissimo illo in Philębo de voluptate progreditur exemplo. Soc. Voluptatem rem esse variã scio; sed ab ea, vt dixi, principium facientes, quã habeat naturam, inuestigare debemus; rem vnam quidem audimus, formas tamen varias admodum, & quodammodo dissimiles habet. Vide enim delectari dicimus intemperantem hominẽ, sed & temperantia temperantem, delectari, insipientem insipientibus opinionibus, ac vana spe vndiq; plenum; sed & sapientia sapientem: quas quidem voluptates siquis dissimiles esse neget, insipiens esse merito videatur. Prot. Hæ quidem, o Socrates, ex contrarijs proueniunt; non sunt tamen ipsæ contrariæ. Qui enim voluptas voluptati rerum omnium maxime similis non sit, cum sit eadem ipsa sibi? Soc. Enimuero, o beate, neque color a colore; ex eo, quod color vnusquisq; differt. At vero nigrum albo, præterquam quod differt, etiam contrarium esse nouimus omnes. quinetiam figura figuræ eadem genere ipso in vniuersum est; partes autem generis eius aut in immensum inter se differunt, aut contrariæ sunt etiam; cæteraque huiusmodi multa reperiemus. Quamobrem noli huic rationi, quæ maxime contraria omnia vnum efficit, credere. Vereor enim, ne forte voluptates quasdam inter se contrarias reperiamus. Prot. Forte, sed, quid hoc rationem nostram ledet? Soc. Id certe ledet; quod tu hæc, dissimilia cum sint, alio, sic dicamus, nomine vocas: ais enim suauia omnia bona esse; suauia vero quin suauia sint, nulla prohibet ratio. cum autem ex iis multa mala sint, multa etiam, vt nos quidem dicimus, bona: tu tamen bona vocas, etiam dissimilia inuicem confessurus, si quis coegerit? Quid ergo in cunctis voluptatibus tam malis, quam bonis idem ne quiddam cõmuniter inuenitur, cuius gratia bonas omnes uocas? Prot. Quid ais, o Socrates; an putas quempiam, cum posuerit voluptatem, bonum esse, inde tibi concessurum quasdam bonas, quasdam malas esse? Soc. Verum etiam dissimiles esse multas, plerasq; inter se contrarias confiteberis. Prot. Haud sane in quantum uoluptates sunt. Soc. Rursus in idem relabimur, o Protarche: dicemusque voluptatem voluptate nihil differre, sed omnes consimiles esse, & exempla in medium paulloante inducta nihil mouebũt, ac instar eorum, qui inepti, & rudes disputationum sunt, contendemus.

demus. Prot. Qui iſta dicis? Soc. Quia,ſi ipſe te imitans ego repellenſq; dicere non uerear, quod diſſimillimum omnium diſſimillimo ſimillimum ſit, eadem, quæ & tu, afferre potero. itaque rudiores, quam par ſit, apparebimus; & oratio nobis exciderit, peractaque iam erit. Rurſum igitur eam exordiar: fortaſſe enim altius progreſſi in eandem ſententiam concedemus. Prot. Dic quomodo. Soc. Pone me viciſſim interrogatum abs te, o Protarche. Prot. Quidnam? Soc. Sapientia, ſcientia, mens, & quæcunque ego a principio rogatus, quid ipſum bonum ſit, bona vocabam, nonne idem, quod & ſermo tuus patientur? Prot. Qua ratione? Soc. Cunctæ namque ſcientiæ multæ videbuntur; earumque nonnullæ diſsimiles inuicem: quod ſi quæ etiam contrariæ ſint, numquid præſenti diſputatione dignus fuero, ſi hoc ipſum veritus nullam ſcientiam ſcientiæ diſsimilem dixerim; ſic tandem ſermo noſter, tamquam fabula, euaneſceret; nos autem ruditate quadam detineremur. At ſic fieri minime decet; qui ſolutis potius ratio debenda eſt. Mihi igitur & in tua, & in mea oratione ex æquo id placet; vt multæ, videlicet, voluptates, ac diſsimiles ſint, multæ præterea, differentesq; ſcientiæ. Hactenus Plato, qui paulloquoque infra hac Methodo voluptatis ſpecies venatur. quam orationem, ne in longius rem protrahamus, non appono. Similiter etiam in quinto de Republica, & ſubſequentibus docet, quo pacto in internoſcendis tribus animæ partibus, inter ſeque diſtinguendis exercere nos ipſos debeamus. Sic in citato libro, quomodo maris, & fœminæ eadem,diuerſaq; ſit natura, oſtendit. Sed aliud exemplum ex Hippocrate in hunc locum deportemus. Hic igitur in libro de Articulis ſic ſcribit. His autem indicijs exciderit, ne humerus, intelligendum eſt: Partim quidem, quum homines iuſtum habeant corpus, & brachia, & crura ad exemplum integri extimare vitiatum oportet; & ad exemplum vitiati integrum; neque ſpectare alterius hominis articulos. alijs enim magis extant, alijs minus; ſed ipſius laborantis, an integer vitiato diſsimilis ſit. Quæ res recte quidem oſtendetur. omnino autem magna eius inſcitia eſt. Hac de cauſſa non ſatis eſt ratione artem hanc ſcire; ſed vſu experiri ipſam oportet. Multis enim articuli præ dolore, vel alia de cauſſa, vt non exciderint; nequeunt tamen eo modo, quo in ſanis corporibus figurari; intelligere igitur, ac ſcire huiuſmodi habitum oportet. nam multo magis in ala ſentitur caput humeri prolapſi, quam eius, qui naturaliter habet. ad hæc locus, qui a ſuperiori parte ſupra commiſſuram

eſt,

eſt, cauus apparet: item latum os ſcapularum ſummum, qua cum iugulo committitur, exſtare videtur; cum articulus inferiori loco recipiatur: in quo etiam accidit inſcitia, de qua in ſequentibus agemus. eſt enim memoratu digna: partim etiam a latere cubiti eminentia recedere magis videtur ab eo humero, qui prolapſus eſt, quam ab altero. Si quis tamen cogat, adducitur quidem; ſed cum dolore. Adde, quod, cubito extento, brachium iuxta eiuſdem partis aurem non ita porrigi poteſt; quemadmodum & integrum; neq; in latera ſimiliter. Hæc itaq; indicia ſunt humeri capitis luxati. Eadem æque Methodo in præſagijs inceſsit. ad quę loca quilibet vltro accedere poterit, ſi huiuſce Methodi vſum frequentem intueri exoptauerit.

FINIS.

CELSI MARTINENGI DE ARTIVM STRVCTVRA LIBELLVS.



HISCE instrumentis, subsidijsq; comparatis, iam ad artium compositionem, & quasi structuram, cui illa peculiares vsus afferunt, adeamus. Gloriosa sane, & vtilissima tractatio; vt quæ, veluti dux, rectissimam optimarum disciplinarum viam ostendat; de qua etiam clarissimi viri decesserunt. quamuis enim in ea maiorum nostrorum primum impressa sint vestigia; hæc tamen leniter, obscureq; pressa initio magni nominis auctores, deinde vna secum philosophantium turbam in graues errores induxere.

A rei igitur natura exorsi Artem constituimus discretam esse notionum vniuersalium, occultarum, ordinem habentium, & in vnum exitum spectantium perceptionem. At vero id, vt breuiter, summatimq; propositum, fusius, pluribusq; verbis est explicandum. Diximus autem primum, Discretam esse cognitionem, hoc est, distinctam, selectamq; intelligentiam: non enim, nisi quod vsquequaq; elaboratum existit, in artem referri potest: confusa porro permistaq; notitia, veluti rudis, impolitam etiam artem informat. Vnde illud Platonis scite dictum; neminem latentem rei cuiusque naturam discernere posse, nisi eam penitus ab aliena qualitate secreuerit. Sic olim Archigenis nobilissimi artificis omne studium, singularisq; voluntas in singulis ad prima, simpliciaq; deducendis fuit. Verum eius generis cognitiones vniuersales

Quid sit Ars.

ſales exiſtunt: nam, vt erudite Galenus aſſeuerabat, artes nulla alia in re, quam in ſpecierum, generumq; commẽtatione verſantur. quamuis enim quæ aliquid efficiunt, nihil aliud, niſi ſingularia tractare videantur; hæc tamen, cum caduca ſint, & incerta, nec comprehendi, nec ad artem reuocari queunt. Vniuerſæ igitur res ſolæ has facultates inſtituunt, ad quas, veluti ad regulas, ſingularium iudicia diriguntur. Subiecimus autem, occultarum: huiuſmodi ſiquidem præceptiones obſcuræ ſunt, a vulgarique intelligentia remotæ. Licet enim imperitis etiam nota ſæpius velut ſigna ſint, & veſtigia, ex quibus in artificij cognitionem deducimur; non tamen propterea illud inſtituunt: ſi enim artificioſa gnaris æque, & ignaris eſſent communia, qua ratione ſcientem ab inſcio diſtingueremus? Verum, vt ædificium aliquod molientibus non ſat eſt vniuerſam materiam, ſingulaque ædificanti vtilia accumulare; niſi perita manus ea diſponat, aptisq; locis diſpenſet: ſic vniuerſam quandam agendi, aut intelligendi rationem attentantibus inanis cognitionum ille congeſtus exiſteret; niſi ad eam adhiberetur mentis agitatio, quæ eaſdem in ordinem digereret, atque inter ſeſe commiſſas deuinciret. perinde igitur ſingulæ intelligentiæ inter ſe cohærere, conſentireq; debent, vt non ſecus, ac in animantibus, minimæ particulæ ad maiorum, hæ ad maximarum vſum accommodentur; omnesq; ad primum, cõmuneque totius artis bonũ, ad finem ſcilicet aliquem rerum, quæ ſunt in vita, perutilem aſſequendum conueniant, & conſpirent. Hæc igitur ſi eſt quæſitæ rei poteſtas, an non liquet artem aliquam conſtructuris duplicem potiſſimum rationem eſſe neceſſariam, vnam quidem inueniendi, alteram vero inuenta diſponendi? neque enim vnquam ſine excogitandi via latentes notiones deprehendentur, nec ſine recta collocatione apte cohærebunt; vnaq; conſpiratione continuatam rationem conſtituente. Sed ad Diſpoſitionem aggredientes, principio, quoniam vniuerſæ res vna naturæ conſenſione conſtrictæ, peculiari autem vi diſſedentes, ex vna, & multis notionibus ſunt contextæ, & implicatæ; quænam erit haſce diſponendi ratio ſic, vt apte inter ſe cohæreſcant, diſcreteque & electe digerantur? nulla ſane alia, præter eam, quam Plato in Philæbo exponit: hanc enim & diſſenſionis plenam, & diu inter doctiſsimas agitatã dilucide adeo hiſce verbis exprimit, vt omnem ſcrupulum, dubitationemque ex animo penitus tollat. Soc. Nulla eſt via pulcrior, neque eſſe poteſt, quam illa, quam ſemper dilexi; at illa me ſæpe fugiens deſertum, inopemque deſtituit. Prot. Quęnam iſtam? dic modo. Soc. Quam oſtendere haud ita difficile eſt, perſequi difficillimum.

Ad conſtruendas artes duplex ratio neceſſaria.

De diſpoſitione.

Platonis ſententia.

quæcumque

quæcunque enim per artem adinuenta ſunt, hac in lucem hominibus prodierunt uia. animaduerte quęſo, quam dico. Prot. Dic modo. Soc. Donum profectò Deorum ad homines, ut mihi uidetur, per Prometheum quendam una cum quodam lucidiſſimo igne deſcendit. etenim Priſci nobis præſtantiores, Dijſq; propinquiores hæc oracula tradiderunt. quod cum ex vno, & multis conſtent uniuerſa, quæ ſemper eſſe dicuntur; terminumq; & infinitum innatum habeant, oportere nos, his ita ordinatis, vnam ſemper idęam in unoquolibet generatim ponentes inquirere; quam ſi cõprehendamus, poſt unam duas, ſi ſint, perſcrutari: ſi minus id pateat, tres, aut alium numerũ quærere; & quodlibet eorum, quæ ſunt, unũ eodem pacto diuidere, quouſq; ipſum principio vnũ, nõ modo quod vnũ, multaq; & infinita ſit, uerum etiã quot ſit, aliquis noſcat: infiniti autem idęam non prius ad multitudinẽ adhibere, quã quis numerum omnem inter infinitum, & unum medium cadentẽ percepit; tum demum unum quodlibet omnium abeuntium in infinitum demittere. Et paullo poſt alteram huic aduerſam Diſpoſitionẽ ſubiungens, perſequitur: Vt, ſi quis vnum aliquod accipit is, ut diximus, haud nox in infiniti naturam, ſed aliquem numerum deſcendere iubet: ita ſi quis primo infinitum ſumere cogitur, nequaquam in unum continuo, ſed in numerum quendam, qui multitudinem aliquam habeat, debet intendere, ex omnibuſq; in unum deſinere. Duæ igitur ſunt, Platone auctore, uiæ, quæ uniuerſas notiones communione quadam inter ſe confuſas, ſpecie autem differentes diſtincte, & ordinate diſponant; vna ultima, maximeque communia genera prima cõſtituens, quæque ob his cõtinentur, ſeriatim uſque ad ultimas ſpecies exponens; altera uero, quæ ab his incipiens, contraria collocatione contenta, ultimaq; genera vna complexione deuincit. Quod idem Plato Grammaticæ, Muſicęq; dilucidum admodum reddit exemplo. Soc. Vox ex ore nobis erumpens una eſt, & infinitæ rurſus voces numero, & cunctorum pariter, & cuiuſque. Prot. Quidni? Soc. Neutro tamen horum docti efficimur; nec quod eius infinitum, nec iterum quod eius unum cognoſcimus; ſed quia & quot, & quales ſunt, tenemus: hoc enim unumquemq; noſtrum grammaticum reddit. Prot. Veriſſima loqueris. Soc. Idem quoque muſicum hominem facit. Prot. Qua ratione? Soc. Vna quodam modo, & in hac arte, uox eſt. Prot. Quidni? Soc. Duo item ponenda ſunt graue, & acutum, & tertium tonus medius. nonne ita? Prot. Ita. Socr. Veruutamen nondum doctus Muſicen eris, ſi hæc ſola cognoueris, & iſta ignorans, ut ita loquar, nullius eris in Muſica pretij.

Ordines duo.

Prot. Nullius. Soc. Sed postquam,o amice, acceperis, quot interualla vocis numero sunt circa graue, atque acutum, & qualia, necnon interuallorum termini, & quotcumque ex his compositiones proueniunt; quæ maiores nostri conspicientes eorum sectatoribus, vt huiusmodi quædam harmonias appellaremus, tradiderunt; cogitare præterea,quod eadem ratione de vnoquoque, quod vnum, & multa est considerare debemus. nam quando ista sic accipis,sapiens tunc euadis. Paucis autem interpositis contrarij ordinis imaginem proponens, sic scribit: Postquam infinitam vocem cogitauit siue Deus aliquis, siue homo diuinus, qualis apud Ægiptios Teuth fuisse fertur, primo in ipsa vocis infinitate vocales litteras considerauit, quæ non vna, sed plures sunt; rursusq; alias, quæ non vocis,sed soni participes essent, atque harum numerum certum similiter definiuit; tertiam deinde speciem litterarum distinxit earum,quas nunc mutas vocamus; postremo liquidas, mutasq; discreuit vsq; ad singula quædam,vocalesq; & medias eodem modo,donec earum numero in singulis speciebus, & in vniuersis reperto, elementa vocauit. Cumque videret neminem nostrum horum quicquam seorsum percepturum, nisi vniuersa percepisset, hoc velut vinculum vnum quiddam existens, & in vnum dispersa redigens, meditatus, quam vnam in his esse artem Grammaticen animaduertit, eo nomine appellauit. Harum etiam dispositionum perspicuas formas intueri possumus apud Galenũ potissimum, vbi artem medicandorum morborum constituit: quo loco non alijs rationibus,præterquam memoratis, curatorios scopos instituit, a maxime scilicet communibus exordiens, & ad minus communes, deinde ad proprios,vltimosq; rursus ex his interdum per medios ad illos ascendens. Geminæ igitur in vniuersum erunt vtiles, congruæq; distributiones, quibus minimæ cognitiones eiusdem generis disposite cognoscentur. At cum præterea harum quædam simplices sint,quædam copulatæ,sciendum etiam est, num hæ priores, an illæ sint collocandæ. Nam nõ defuere viri illustres, qui vtroq; modo has intelligentias disponi posse existimarunt. Ceterum, si illud verum est, vt verissimum esse opinor,eas cognitiones illis esse præponendas,quæ nonnisi antecedẽtium auxilio dignosci queunt, quod etiam Galenus primo in librum de articulis commentario testatum reliquit; vtique simplices notitiæ compositis numquam nõ erũt præmittendæ. quod passim quoq; idem auctor asseuerat. non queũt siquidẽ concretæ intelligentiæ cognosci, nisi suę cuiusq; puræ,& elementares perspectæ sint. Vnde & Aristoteles censuit esse necesse ei,qui certa scientia complicatas rerum naturas cognosce-

Quæ ratione simplices, compositæq; intelligẽtię sint collocandę.

re cupit, earum principia priora tenere. Ita Galenus recta doctrinæ, & vera rerum initia consentire asseuerabat, vt aliqua ratione dissentire minime possent. quin alibi delirationem esse tradebat diuersa istorum facere principia: tantumq; Antiqui connexorum agnitioni simplicia conducere existimarunt; vt interdum ea sola agitare cō tenti fuerint, velut in quibus etiam concreta dilucide apparerent: quam doctrinam Galenus elementarem nomine dixit. Quare Plato in Thœteto post longam euagationem hæc immortalitati commendat. Soc. Eius ergo sermonem non admittamus, qui dixerit syllabam quidem dici, & cognosci posse, elementa vero nequaquam. Thœ. Non certe, si huic rationi credimus. Soc. Quid si quis contraria dixerit; an non potius illa concederes, ex his quorum tibi ipsi in primis litterarum rudimentis conscius exstitisti? Thœ. Quænam ista? Soc. Quod nihil aliud discere studuisti, quam elementa oculis, auribusq; discere, & singula secundum seipsa notare, ne illorum positio, vel cum dicerentur, vel cum scriberentur, te turbaret. Thœ. Vera narras. Soc. Cytharistæ vero artem didicisse, quid aliud est, quam vnumquēq; tonū cuiusq; chordę dignoscere: hæc. n. elementa Musicę quilibet appellaret. Thœ. Nihil. Soc. Cum ergo elementorū, & syllabarum periti fuerimus, velimusq; ex his ad alia coniecturā facere, asseremus profecto genus elementorū clariorem, prioremq; intelligentiam continere, quam syllabam, ad singulas disciplinas absolute percipiendas. &, si quis notam syllabā elementum natura ignotum dixerit, vltro illum, vel inuitum ludere putabimus. hæc Plato.

Quęnā sit Antiquorū elementaris doctrina.

Illud igitur constans, perpetuumq; erit simplices notitias compositis numquā non esse præponendas. Hac ratione itaq; cognitiones illæ minimę, ex quibus artis maiores partes coagmentantur, aptissime cohærebant, & alię alias velut apprehendentes continuabūtur. At, quemadmodum illæ ob naturę affinitatē his ordinis arctioribus vinculis constringuntur, ita maiora membra, cū sæpius genere sint disiuncta, fere libera, & soluta remanent. Vnde caligant, qui cēsent istorum quoq; omnium necessariam quādam esse dispositionē. nisi .n. vna pars in alterius cognitionē nos deducat, nil prohibet priorine, an posteriori sede collocentur. Quare non corruet dicendi ars, quibusuis locis grandiores illius partes Inuentio, Dispositio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio describantur licet. Sic Medicinæ compositio non dissoluetur, si vtramlibet partē, curatoriā, vel significatiuam vnā alteri præponamus. Vnde Galenus Hippocratem tuebatur in libro de Articulis, qui luxati brachia curationem prius, quam illius signa, tradiderat. quinetiam ipse in libro de constitutione artis medicæ haud absurdū esse duxit (quamuis isti secus censeant) prius modum constituendæ illius, quam istius edocere. Ceterum, qua via cognitiones hæ, velut inuolutæ, latentesq; inueniri possint, ex-

Inter omnes artis maiores partes necessariam esse Dispositionem.

De Inuentione.

plicaturo illud præiaciendum, non posse uniuersum illum notionũ praceptorumue conuentum directe inueniri, aut exponi nisi & initium aliquod, cui singulæ perpetua quadam sede cohærescãt du catur, & præterea nota sit progrediẽdi via: multa enim repetet, multa transibit, eritq; velut nocte in ignotis locis errans is, qui nec origine, nec semita proposita, casum potius, quam excogitatã aliquam rationem insequetur. Vt ergo tria tantum eius generis initia in arti bus habentur, finis, ceu quem artis cognitiones omnes spectãt, Principes illæ ad finem institutæ intelligentię, quę ab eo regrediẽtibus ultimæ dinumerantur, & artis Materia, in quas ea facultates, quæ conficitur ex arte, versatur; sic non alia quam vna istorum, velut terminorum, rationem habentium distinctæ inuentionis, progressionisq; ad singulas illas notitias erunt apta principia. Nam, etsi ex artis diffinitione digestam quandam doctrinam hauriri Galenus tradiderit, nomine tamen solum, non re dissentit: ea enim diffinitio, quam in totam artem distribuimus non nisi ex propria illius subiecta materia confici potest. Vnde ipse huiusmodi via Medicinam aggrediens eam finiebat esse scientiam salubrium, insalubrium, & neutrorum. in quibus alibi, tamquam in propria segete, & materia versari scriptis mandauit. Quemadmodum ergo triplex est, idq; varium principiorum genus, sic viæ, quibus apte ingredi possumus, ternæ, & hæ diuersæ enumerantur. a fine enim, vt qui ea ratione cum vniuersa notionum collectione cohęret, quia hę illius gratia existunt; eoq; posito, cognitiones singulæ, quibus ars continetur, ex necessitate consequuntur, non alia methodus præterquam Resolutoria, quã ex rei propositæ ui, tamquam ex origine, consequentia elicere diximus, omnem illum cognitionum cœtum composite educet: hæc enim ad maiores primum, maximeq; communes partes, ex his ad minores, deinde ad minimas, propriasq; notitias gradatim reuersionẽ veluti faciens, singulas illius præceptiones ordine promet, breuiterq;, & absolute decurret. At a minimis his, vltimisq; incipientes, etsi ea ipsa, velut Resolutoria facultate inuenta, quemadmodũ Galenus voluit, tamquam certa sumere possimus; attamen & Componẽte diuidenti e regione facta, Platonem imitati ad summa illa genera, lateq; patentes cognitiones ascendemus. Quod si definitio excogitandi initium attulerit, hęc, cum propositę facultatis summa sit, atq; illius primorum generum breuis explicatio, sola diuidens ratio ex ea in singulas cognitiones nos deducet. Triplex ergo tantum (vt simul & methodos inuolutas cognitiones euoluẽtes, & rõnes illas aptis, & accõmodatis locis collocãtes cõiũgamus) erit recta cõstituendę artis ratio vna a notione finis per resolutionẽ summa prius genera, deinde contenta, vltimasque tandem species expromens;

In artis medice præfatione.

altera huic opposita ab his incipiẽs,per gradusq; pariter ad prima il-
la capita tẽdẽs, tertia diffinitionẽ artis dissoluẽs singulas illius par-
tes dissecãdo cõtinget. Nec quispiã suspicione attingatur,quod alia
etiã doctrina inter vtiles enumeretur;quæ.s.Diffinitiuæ cõtraria ab
extremis notitiis per ipsam inuẽtis ad vltima genera,maximeq; cõ-
munes notiones ascẽdat . hæc siquidẽ nõ alia fere esset a Cõponẽte
illa, quã Resolutoriæ aduersam esse protulimus:nõ.n. ad finitionẽ,
sed ad finẽ,quẽ vniuersę artis præceptiones sua natura spectãt,recta
tẽderet.Maximis igitur laudibus veteres illi ornãdi,qui bene insti-
tutas disciplinas ternario illo numero cõcluserũt.Vnde nec iniuria
Galenus Resolutoriã,veluti principẽ , inter omnes eminere testatũ
reliquit:via.n.& ordine procedẽs,demõstrãteq; vi innixa firmas co-
gnitiones,easq; minime dubias expromit.at Diffinitiua,quãuis Me-
thodo,& dignitate illa sit inferior,cõtractionis tamẽ laude antecel-
lit.cũ.n. ad persuadendum nihil adducat , sed quæ monstrare esset
necesse, tãquam concessa, proponat si non admodum exploratã,at
compendiariam molitur explicationẽ . Inter has interiecta est Cõ-
ponens,quæ nec tã breuiter,vt diffinitiua, nec æq; necessario,vt Re-
solutoria,quæsitas notiones exponit. Ex his aniles pene errores eo-
rũ,qui superiore ætate floruerunt,apparent:ambiguis.n.disputatio-
nibus in vtramq; partem ad geminum demonstrationis genus Re-
solutoriam,& Componentem doctrinã referre studuerunt. nec mi-
nus clarissimorum virorũ lapsus perspicui sunt, qui intuẽtes resolu-
toriam ab effectis ad caussas,a cõpositis ad simplicia, a toto ad par-
tes interdum progressum efficere,in eo omnẽ illius vim , naturãq;
collocarũt.ea.n.progressione,si quæ diximus,animis insederũt,non
illæ cognitiones euoluũtur,quibus ars proposita continetur,sed il-
lorũ multiplex natura distinguitur,quibus positis,artis notiones ex
necessitate cõsequũtur. In putridæ siquidẽ febris curãdę methodo,
vt per rẽ paullo obscurã illustremus exẽplo , ex huiusmodi febri in
eius caussas descẽdimus,nõ,vt illius naturã aperiamus, id.n.patho-
logicę nũcupatæ partis est officiũ,sed vt multiplices eius notiones,
& differentiæ alibi euolute summatim ibi recordationis gratia pro-
positæ curatorios scopos,quibus ea methodus cõtinetur,nobis ostẽ-
dãt.Id igitur Resolutoriæ doctrinæ pręcipuũ,peculiareq; cẽsendũ a
putridę febris, eiusq; principiorũ natura latẽtes curãdi pceptiones
depromere,hasq; pterea, velut illius artis substãtiã, ita digerere, vt
primo maxime cõmunes,deinde minus patẽtes, tãdẽq; proprię col-
locẽtur.Vnde dux noster Galenus nono Methodi medẽdi (quo o-
pere,si quo alio,huius artis inueniẽdi,dispõnẽdiq; rationes elucẽt)
ordinis rationem,quam antea sequutus erat,& in posterum sequun-
turus,exponendo hæc litteris mandat : Ac nunc statutum de Tem-

peramentis

Compositiua.

Diffinitiua An detur quarta doctrina.

Resolutoria inter alias nobilissima.

Summus multorum error.

Illustrium uirorũ grauis prolapsio.

peramentis ſermonem etiam in ſequentibus proſequar; hoc abſoluto, ad inſtrumentalium partium morbos conuertar; oſtendamq; ſecundum eandem Methodum tum primos omnium curationis ſcopos, generaliſſimos appelles licet, tum qui ex horum ſectione naſcuntur; deinde rurſus, qui ex illis oriantur, donec ad eos perueniatur, qui vlterius ſectionem non admittunt. hanc enim omnis conſtituendæ artis Methodum Plato nos docuit. Quid, quæſo, peruerſius, abſurdiuſue ea ſerie excogitari poſſet, qua rerum diſpoſitioni, ordiniq; naturæ contrario ex concretis, vel ex toto ad ſimplicia, parteſq; progrederemur? tam præpoſteram, peruerſamq; diſtributionem recta artis compoſitio, quæ ſcilicet ſingularum notionum abſolutam, compendiariamq; cognitionem promittit, ferre non poteſt. Vnde pariter cecutiunt affirmantes Conſtruentem doctrinam Reſolutoriæ e regione poſitam ex eo propriam vim aſſumere, quod a ſimplicibus, inſitiſq; cauſſis ad concreta cogitando perueniat. hęc namq; commentatio cum nulli doctrinæ non ſit attributa, non poteſt propriam illius formam, idęamue conſtituere. Intueamur Galenum, qui & in Methodo medendi, quo opere, vt diximus doctrinã profitetur Reſolutoriam, a ſimplicibus exordiendum eſſe monet: & in Medica arte, vbi diffinitiuam facit, numquam non hæc priora aggreditur. Ad has igitur leges, & regulas rectæ intelligendi, faciendiue rationes formabuntur, in lucemq; proferentur. ſed in tanta re, qui aliquis proficere ſibi in animo conſtituerit, frequentem vſum adhibeat, atq; exercitationem oportet hæc enim intelligendi prudentiam acuit, componendiq; celeritatem incitat. Non eſt autem, vt quiſpiam hoc loco aliquas a me id genus Doctrinarum expectet imagines, quæ in hanc conſuetudinem inducant: longiſſimam etenim, & non neceſſariam prouinciam ſuſciperem: nam qui Reſolutoriæ formam intueri cupit, eam in libris de Tuenda valetudine, de Conſtitutione artis medicæ, in nonnulliſq; alijs operibus a Galeno adumbratam habet; penitus autem in Methodo medendi expreſſam at Diffinitiuæ exemplar dabit Medica ars ab eodem Galeno edita. ſed Componentem, quæ abſolute, perfecteq; repræſentent monimenta, tam abeſt, vt frequentia ſint, quemadmodum Philoſophorum, Medicorũq; vulgus exiſtimat, vt potius nulla hac ætate videam ea via conſcripta: perierunt enim Erophiliorum Eriſiſtrati ſectatorum, Athenæiq; Attalæi ſcripta, qui Galeno tradente, medendi præcepta hac ratione litteris prodiderunt. Pro huius igitur doctrinæ forma deſeruiet propoſitum ex Platone exemplum, dum in Grammatica, quo modo artes Conſtruente ordine diſponantur, digitum ad rem intendit.

FINIS.

INDEX CAPITVM QVÆ IN TRIbus libris de Præuidendis Morborum Euentibus, continentur.

CAPITA PRIMI LIBRI.

CAPITA SECVNDI LIBRI.

Propria

INDEX

CAPITA TERTII LIBRI IN QVO CONTINEtur exercitatio.

CAPITA LIBRI DE METHODIS.

FINIS.

005644 208
005644 209


lB